QUAESTIONES

DE

GRAECORUM VERBORUM,

QUAE IN EPISTULIS CICERONIS EXSTANT,

FONTIBUS, USU, CONDICIONIBUS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

INSTITUIT

RODOPHUS LOEW,

BASILIENSIS.

BASILEAE

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM.

MDCCCLXXXIX.

QUAESTIONES

DE

GRAECORUM VERBORUM,

QUAE IN EPISTULIS CICERONIS EXSTANT,

FONTIBUS, USU, CONDICIONIBUS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

INSTITUIT

RODOPHUS LOEW,

BASILIENSIS.

BASILEAE

EX OFFICINA M. WERNER-RIEHM.

MDCCCLXXXIX.

ANNOTATIO.

In exaranda hac dissertatione maxime nos adjuvit index Graeco-Latinus editionis Orellianae, qui continetur tomo III. Onomastici Tulliani (curaver. Casp. Orellius et Georg. Baiterus Turici 1837), ubi de quibusdam locis paullo uberius dictum est. Orellius vero maximam in partem ex Ernesti catalogo (vol. XIII. operum Ciceronis, Bipont. 1787) hausit, ut ipse nomine Ernesti saepissime ascripto testatur. Primus Henricus Stephanus Ciceronianum Lexicon Graeco-Latinum instituit (Augustae Taurin. 1743), cui eos locos adjecit, quibus omnino Cicero e Graecis scriptoribus verba vel totas sententias quamquam translatione facta deprompserat.

Quod attinet ad editiones, Orellianam primum secuti sumus, deinde Tauchnitzianam Baiteri et Kayseri, diligentissimo apparatu critico instructam, deinde editiones Teubnerianas, Wesenbergii et Hofmanni, denique editionem epistularum ad Atticum Bootii (Amstelodami 1865). Nonnullos libros, quibus occasione oblata usi sumus, paginis infimis notavimus.

Inter omnium temporum aetatumque homines doctos, qui sermoni patrio excolendo operam navaverunt eumque ita amplexi sunt, ut ex ejus thesauro quasi e fonte locupletissimo verba elocutionesque, ad quodvis dicendi genus, sive ad philosophiae artisve rhetoricae disciplinam, sive ad poëtici familiarisve colloquii usum accommodata hauserint, sine dubio M. Tullius Cicero primum locum tenet, quippe qui, ut nemo alius, linguam Latinam excoluerit et ad summum perfectionis gradum perduxerit. De qua quidem ita bene meritus est, ut eam hucusque nondum expolitam, sed quasi barbarum sonum trahentem tanta elegantia tantaque amoenitate ornaret, ut et copia verborum et varietate dictionis Graecam linguam propemodum aequiparaverit. Quin etiam Cicero ipse Latinam multis rebus Graecae praestare contendit dicens[1]): „Ita sentio et saepe disserui, Latinam linguam non modo non inopem, ut vulgo putarent, sed locupletiorem etiam esse quam Graecam;" vel alio loco[2]): „O verborum inops interdum, quibus abundare te semper putas, Graecia!"

Sed tamen in permultis ejus operibus, primum in iis, quae ad philosophiam, tum etiam in iis, quae ad rhetoricam pertinent, praecipue autem in epistulis, ingentem copiam Graecorum verborum invenimus, quae non necessitate quadam et inopia Latini sermonis cogente quasi supplementi causa (ut saepe fit, praecipue in disciplinis illis, quas modo commemoravimus) ex aliena cella de-

1) de fin. I, 10. 2) Tusc. disp. II, 35.

prompta videantur. Sed ita potius res comparata est, ut appareat, Ciceronem ornandi causa multa mutuatum esse a Graecis, ut domum suam elegantiori atque uberiori supellectili ornaret. Quae res documento est, quantum Cicero tribuerit Graecorum dicendi copiae et venustati.

De hac re accuratius disserenti inquirere libet in epistulas, et in ea animum intendere, quae Graeca eis continentur, ut hac quaestione instituta, quantum in me est, aliquid afferam ad accuratius cognoscenda studia Graeca Ciceronis ceterorumque, qui litteris se dederunt, Romanorum. Sed priusquam ad singula transeo, paucis verbis adumbrandum esse videtur, quomodo ille, puerilem juvenilemque aetatem percurrens studiis Graecis vacaverit.

Πολλὸν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, id erat, ut Cicero ipse dicit[1]), quod jam a puero adamasset, quod ejus animum incendisset, ut quaecumque posset studia summo opere summaque diligentia amplecteretur. Initio primi ante Christum natum saeculi omnis scientiae doctrinaeque studium praecipue artis rhetoricae etiam Romae Graecorum hominum erat; non modo poëtae tragoedias comoediasque Graecorum in Latinum sermonem conversas in publicum proferebant, sed apud omnes, qui diligentius accuratiusque litteris ac bonis artibus studebant, linguam Graecam studiis amplecti summa laude dignum habebatur. Jam prioribus temporibus qui docendi vel educandi causa Romae versabantur, Graeci erant, de quorum docendi ratione Suetonius haec affert[2]):

„Antiquissimi doctorum, qui iidem poëtae et semigraeci erant — Livium et Ennium dico, quos utraque lingua domi forisque docuisse adnotatum est, nihil amplius quam Graecos interpretantur aut, si quid ipsi Latine composuissent, praelegebant.“

---

[1]) ad Quint. fr. III, 5 et 6. [2]) de gramm. 1.

Eos autem multi alii secuti sunt, qui inprimis scholas rhetoricas instituebant, in quibus disserentes non nisi Graeco sermone utebantur, ita ut Plotius, cum Latinam linguam adhibere vellet[1]), aeque ac Cestius[2]) rejiceretur. Educationi Graecae vulgo plus quam Latinae tribuebatur; „nam apud Graecos, inquit Crassus,[3]) cuicuimodi essent, videbam tamen esse praeter hanc exercitationem linguae doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia."

Scholas igitur illas etiam Cicero frequentabat, summoque labore studiis Graecis se dabat, non modo controversiis suasoriisque se exercens, sed etiam longius procedens in perscrutandis scriptorum libris, ut, postquam linguam Graecam discendo amplexus est, Latinam excoleret, amplificaret, eadem, quam in illa cernere sibi videbatur, elegantia ornaret. Quem ad finem opuscula quaedam Graeca convertit; cum autem carminibus conscribendis paullum incumberet, argumenta poëmatum a Graecis repetere solebat. Satis notum est, eum Homeri carminum nonnulla [4]), tum etiam jam ineunte juventute Arati phaenomena et prognostica[5]), itemque Xenophontis Oeconomicum[6]) transtulisse, quo Platonis dialogi, qui „Protagoras" et „Timaeus" inscripti sunt, accedunt. Neque ceteros poëtas rerumque scriptores neglexit, unde factum est, ut, quia memoria optime valeret, ingentes scientiae copiae ei praesto essent. Rhetoricis Graecorum scriptis

---

[1]) Seneca contr: 2, p. 116, 18.

[2]) Suet. frgm. 7, p. 272 (ed. Roth).

[3]) de orat. III, 94.

[4]) de fin. V, 49: nam verti, ut quaedam Homeri, sic et q. s.

[5]) de orat. I, 16; de republ. I, 14.

[6]) de off. II, 87: Has res commodissime Xenophon Socraticus perscrutatus est in eo libro qui Oeconomicus inscribitur, quem nos .... e Graeco in Latinum convertimus.

cum se imbuisset eo consilio, ut ad summos in republica honores obtinendos sibi viam patefaceret, philosophorum Graecorum scriptis vacabat voluptatis causa et tum maxime, cum procul a negotiis publicis animum recreabat et rebus adversis philosophiae consolatione fruebatur. Quae nobis tradita sunt philosopha Ciceronis opera plane ex scriptis philosophorum Graecorum, praecipue Stoicorum, deprompta ac paene translata videntur. „Ἀπόγραφα sunt, minore labore fiunt,“ inquit ipse [1]), sed quamquam descripta, tamen quod Ciceronis judicio argumentisque ornata sunt, multum ad ingenium illius cognoscendum valent. Scripsit etiam Graecum commentarium consulatus sui, quo putat, ut Graeco, Atticum delectari [2]) et ad quem totum Isocratis myrothecium et Aristoteleia pigmenta se consumpsisse dicit [3]).

Haec ad depingenda Ciceronis studia Graeca sufficiant, quomodo autem eis usus sit in conscribendis libris ad philosophiam artemque rhetoricam spectantibus, demonstrare, a consilio hujus disputationis abest, in qua potius familiaris ejus vita spectanda est, quam ipse suavissime in epistulis ante oculos proponit, neque minus in hanc rem inquirendum est, quam scite familiarem sermonem Graecis verbis ornaverit.

Priusquam autem de epistulis dicamus, de verbis Graecis, quae in ceteris operibus Ciceronis usurpantur, nonnulla praemittere libet. Horum haud parvus est numerus, nam obiter notantes auctoritate codicum non perpensa ex editione Orelliana ut locupletissimo teste ad trecenta verba Graeca numeravimus, quorum quidem

in Tusculanis disputationibus 31,

---

[1]) ad Att. XII, 52, 3.
[2]) ad Att. I, 20, 6.
[3]) ad Att. II, 1, 1.

in libris de finibus 53,
in Academicis 33,
in libris de natura deorum 40,
in libris de divinatione 15,
in libris de officiis 12,
in libris de legibus 2,
in Timaeo 6,
in libro de fato 8,
in topicis 21,
in oratore ad Brutum 29,
in libris de oratore 7,
in Bruto 9,
in libris de re publica 2,
in paradoxorum procemiis 2,
in rhetoricis (de inventione) 7,
in Verrinis 6 inveniuntur.

Itaque certo documento ratiocinamur, Ciceronem in continuo sermone, si forte Latina deficerent, non dubitasse Graeca usurpare, sed cum saepe difficile esset, praecipue in libris, qui de philosophia vel rhetorica sunt, Latinum verbum invenire cum Graeco plane congruens[1]), necessario Cicero sibi hac in re plus indulgebat. Sed haec tamen ratio inserendi Graeca ab ea, quae in epistulis est, differt. Illic enim Cicero necessitate quadam coactus Graeco sermone usus est, id quod facile inde intellegitur, quod fere omnibus locis et versionem Latinam affert et haec verba addit: „quem (quam, quod, quae) Graeci appellant (vocant, nominant, dicunt).“ Hoc idem in locos orationis Verrinae cadit, in qua, cum de rebus Siciliensibus, id est Graecis, ageretur, Ciceroni rerum notiones occurrebant, quae Latine reddi non poterant ut

---

[1]) de fin. III, 15.

„ἐξαιρέσιμοι“ [1]) sive „Σωτήρ,“ quem Latino uno verbo exprimi non posse ipse affirmat [2]).

Accedit ingens numerus eorum vocabulorum, quae, quamquam Graeca, tamen ex vetere consuetudine in lingua Latina inveniuntur quaeque ob eam causam etiam apud Ciceronem Latine scripta sunt, de quibus ipse dicit [3]): „Quamquam ea verba, quibus instituto veterum utimur pro Latinis, ut ipsa philosophia, ut rhetorica, dialectica, grammatica, geometria, musica, quamquam Latine ea dici poterant, tamen, quoniam usu percepta sunt, nostra ducamus.“ Quamquam igitur id studebat, ut etiam, quod uno Graeci, si aliter non posset, idem ille pluribus verbis Latine exponeret, tamen putabat, sibi concedi oportere, ut Graeco vocabulo uteretur, si quando minus occurreret Latinum [4]). Et hanc quidem rationem in omnibus quos conscripsit libris, sive ad philosophiam sive ad rhetoricam spectantibus, secutus est; summam enim operam dabat, ut elegantissime et verba singula et enuntiata componeret eaque poëtarum sententiis ornaret, neque hac in re Graecos neglegebat, ut exempli gratia locis quibusdam Tusculanarum disputationum [5]), in quibus Sophoclem, Aeschylum, alios poëtas ad verbum affert, cum contra neminem facile fugiat, Ciceronem poëtas Romanorum omnino fere praetermisisse. Quod consilio factum esse consentaneum est. Nam certe exstabant poëtae Latini, sed sicubi defecerunt, vertit multa de Graecis, ne quo ornamento careret Latina oratio. Sed longe distat horum locorum ratio a Graecis, quae in epistulis sunt. Scilicet in ceteris scriptis plurima, quantum fieri potuit, in Latinum sermonem translata sunt Graeca, non solum poëtarum versus, sed etiam singuli termini, qui

[1]) in Verr. II, 129.
[2]) in Verr. II, 154.
[3]) de fin. III, 5.
[4]) de fin. III, 5.
[5]) Tusc. disp. II, 19 e. q. s.

dicuntur technici, unde intellegitur, Ciceronem nunquam nisi necessitate coactum Graeca sibi concessisse idque factum non esse, ut commodius sive neglegentius scriberet, sed ut accuratius minutiusque ea, quae tractaturus esset, exprimeret atque depingeret. Neque mirum, nam etiam alios scriptores hanc rem sibi indulsisse constat, quo in numero Varro, Seneca rhetor, alii sunt. Quid igitur? Dicamusne, propriam in epistulis rationem inesse videri, quae omnino ad genus scribendi, quod in epistulis adhibetur, pertineat? Ne hoc quidem. In percurrendis Plinii epistulis, ut rationem, quae eas inter et Ciceronis intercedat, paucis comprehendamus, longe rarius verba Graeca in continuitate sermonis usurpata esse invenimus, neque apud ceteros exstant; verum Ciceroni ipsi hic modus quasi miscendarum duaram linguarum attribuendus est, atque re vera ille, ut res ipsa docet, praecipue in sermone familiari hujus generis scripturae amantissimus erat.

Quod pertinet ad Ciceronis epistulas, longe maximum numerum Graecorum verborum in epistulis ad Atticum scriptis contineri facile patet, ubi Cicero summum erga amicum amorem summamque familiaritatem expromit.

„Ego tecum tamquam mecum loquar“, ipse affirmat [1]). Omnibus igitur temporibus omnes vitae vicissitudines sensusque condiciones illi ut consolatori et adjutori detegebat atque aperiebat.

Titus Pomponius Atticus, cujus vitam Cornelius Nepos enarravit, peritissimus erat linguae Graecae, et, cum longum per temporis spatium Athenis versatus esset studiisque Graecis plurimum vacasset, ita Graece loquebatur, ut Athenis natus videretur; idem poëmata pronuntiabat et Graece et Latine, sic ut supra nihil posset ad-

[1]) ad Att. VIII, 14, 2.

di[1]). Idem, ut Cicero ipse, commentarium scripsit de consulatu amici, cujus Cicero, quamquam horridulus atque incomptus ei visus est, mentionem fecit. Neque Atticus a verbis Graecis in epistulis, quas ad Ciceronem mittebat, abhorrebat. In cujus rei documentum infra enumerabo aliquot locos epistularum Ciceronis, unde facile concluditur, repetita esse ipsius Attici verba Graeca.

Neque ab epistulis, quae dicuntur ad familiares, usus inserendi Graeca plane abest, longe tamen in illis rarius quam in epistulis ad Atticum invenitur, cum quidem poëtarum verba saepissime, singula vocabula fere nulla afferantur, quod idem in ceterorum amicorum epistulas Ciceroni scriptas cadit.

Sed ut in rem ipsam ingrediamur, primum dicendum est de fontibus, e quibus Cicero verba Graeca, quae in epistulis usurpavit, hauserit, tum de causis, quibus motus ea immiscuerit, postremo de codicibus eorumque corruptelis quaedam disseremus, cum magnus horum verborum numerus a librariis ita corruptus atque depravatus sit, ut saepe vera enodandi summa sit difficultas.

---

[1]) Corn. Nep. vita Att. c. IV.

I.

De fontibus, unde potissimum Cicero Graeca verba hausisse censendus sit.

Inter Graeca, quae in epistulis Ciceronis occurrunt, exstare haud parvum numerum versuum ex poëtis Graecis depromptorum, quibus Cicero occasione oblata libentissime usus sit, perspicuum est. Hoc idem quamquam in cetera ejus opera cadit[1]), tamen in illis, ut jam vidimus, semper Graeca in Latini sermonis formam convertit, quod in epistulis nusquam fit. Nonnulli tantum versus Medeae, Euripidis tragoediae, excipienda sunt, quos Cicero in epistula quadam ad Trebatium missa[2]) Latine scripsit. Neque enim in epistulis poëtarum Latinorum testimonia afferuntur, ne Ennii quidem mentio fit, cujus carmina versusve Cicero alibi missa non faciebat, immo saepe orationi inserebat[3]). Sed cum paucos in epistulis versus Latinos inveniamus, Graeci fere centum numerantur.

Longe dignissimum, cujus verbis passim uteretur, Cicero Homerum habebat, quippe cujus versus ita memoria teneret, ut eis haud paucas epistulas ornaret, seu plenos

---

[1]) Tusc. disp. II, 8—10.
[2]) ad fam. VI, 6.
[3]) de div. I, 40; 48 e. a. l.

versus commemoraret, seu uno vel duobus verbis allatis totum poëtae enuntiatum in mentem revocaret. Cujus rei exemplum sit versus 442 Iliadis carminis Z, qui idem in carminis X versu 105 redit. „Αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους," quem versum uno loco epistularum ad Atticum totum exhibet (II, 5, 1), quatuor locis dimidio tantum allato: „αἰδέομαι Τρῶας" (ad Att. VII, 12, 3; VIII, 16, 2; XIII, 13, 2; XIII, 24.), ad quos accedit locus libri VII. epistulae 1, § 4, quo versum prorsus periodo inculcat: „Αἰδέομαι non modo Pompejum sed Τρῶας καὶ Τρῳάδας." Id tantum deprompsit Cicero, quod pertineret ad illustrandam sententiam, seu versum expleret seu non expleret, ita ut plane satis haberet scribere: „σῆμα δέ τοι ἐρέω" (ad Att. IV, 15, 7) vel: „οὐχ ὁσίη φϑιμένοισιν" (ad Att. IV, 7, 2), vel in eadem epistula: „ὁ δ' οὐκ ἐμπάζετο μύϑων." Et quid opus erat, Attico expressis verbis Homeri versus in memoriam revocare, cum etiam ille, sicut Cicero, praeclarissimum Graecorum poëtam funditus nosset? Nam quod ad Atticum attinet, ne cetera argumenta e vita, e cognomine vel alia afferam, ei poëtas Graecos curae fuisse jam haec ipsa res testatur, quod Cicero eorum verba scribendo non absolvere solebat, sed plurimis locis versuum fragmenta, quae nemini nisi illi, qui totum versum novisset, perspicua essent, afferre satis habebat. Quis enim, qui Homeri carmina in promptu habet, dubitare possit, quin Cicero, cum Homeri verbis usus: „σύν τε δύ' ἐρχομένω" Atticum sibi comitem optaverit, praeclarae illi Diomedis et Ulixis expeditioni ante urbis Trojae moenia factae alluserit, de qua decimus Iliadis liber agit? (ad Att. IX, 6, 6.) ac cui non liqueat, Ciceronem vociferantem: „Τέτλαϑι — κύντερον" (ad Att. IX, 15, 2) verba illa celeberrima secum cogitasse, quibus magnus ille, multas calamitates perpessus Ulixes animum corroboraret ad

novas miserias subeundas. Longius autem progredientibus tales occurrunt loci ut:

„ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθες πάτριδος . . . .[1])“, vel

„πρόσθε λέων, ὄπιθεν δέ —“ [2]) vel

„χρύσεα χαλκείων“ [3]) vel

„μετ' ἀμύμονα“ [4]), ubi Attico relinquebatur, ut ea, quae Cicero reticeret, ex Homero suppleret. Atticum quoque Homeri verba epistulis suis inseruisse, quamquam testimoniis caremus, plane verisimile est, cum in frustulis illis Attici epistularum, quae passim a Cicerone commemorantur, etsi alia, etiam poëtarum verba Graeca, tamen Homeri versus inveniri non possint. Sed cum ex ceteris poëtis hausisse videatur, cur Homerum neglexerit?

Summa autem admiratione Cicero dignus est, quod ex tot Homeri carminibus versus tamquam „ἔπεα πτερόεντα“ ita usurpaverit, ut pro certo constet, eum totum maximi Graecorum poëtae opus animo concepisse; nam errore Ciceronem lapsum esse in scribendis verbis vix quisquam affirmaverit, cum paene omnibus locis scriptura non discrepet a tradita lectione Homeri codicum. Hoc tantum largiendum est, eum in libro altero, quem scripsisset de gloria, ut testis est Gellius [5]), Ajacem cum Hectore confudisse. Quod autem ad epistulas attinet, legimus in epistula 7. libri IV. ad Att., si codicum lectio non fallit, verba:

„οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν“,

cum contra apud Homerum

„οὐχ ὁσίη κταμένοισιν“ scriptum sit.

---

[1]) ad Att. VII, 1, 2.
[2]) ad Att. II, 16, 4.
[3]) ad Att. VI, 1, 1.
[4]) ad Att. XVI, 5, 6.
[5]) noct. Att. XV, cap. 6.

Homerus cum hoc loco de procis interfectis verba fecerit, contra Cicero non de interfecto sed de defuncto Metello, fieri potuit, ut illud „κταμένοισιν" verbo „φθιμένοισιν" commutaretur, quod idem aliis locis ab Homero usurpatum est. Postea autem hunc Homeri versum in proverbiorum numero habitum esse, et Plinius [1]) et testimonium paroemiographorum [2]) demonstrant. Alter, quo Cicero errasse videtur, locus in libri III. ad Quintum fratrem epistula 5. (6.) exstat, ubi scriptum est:

„Πολλὸν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων," qui quidem versus non modo apud Homerum duobus locis, sed etiam in epistulis ad familiares scriptis [3]) hoc initium prae se fert: „Αἰὲν ἀριστεύειν." Cum autem vocabulum „πολλὸν" optimo codice et archetypo comprobetur, quippe qui et in verbis Graecis certissimus auctor sit, Ciceronem „πολλὸν" usurpasse, hoc igitur in versu lapsum esse lubentius amplector. Sunt, qui in posterioris temporis codicibus correxerint „Αἰέν", sed valde suspicor, eos id, quod Cicero ipse scripsisset, secundum vulgatam Homeri lectionem immutasse. Ceterae, quae exstant in Homeri verbis scripturae discrepantiae, codicibus tribuendae sunt, de quibus infra dicetur.

Longum est, omnes, quibus Cicero Homeri versus affert, locos enumerare; paucis autem illustrare libet, quas praecipue Homeri carminum partes Cicero praetulerit. Qua in re eum majorem auctoritatem Iliadi tribuisse constat; cum enim Odysseae versus vel versuum particulas undeviginti epistularum locis proferat, Iliadis duos

---

[1]) Plin. epist. IX, 1, 3: Simul vitabis illud: *οὐχ ὁσίη φθιμένοισιν.*

[2]) Mantissa proverbiorum II, 45 (corp. par. Graec. ed. Leutsch et Schneidevin. tom. II).

[3]) ad fam. XIII, 15, 2.

de quadraginta versus invenimus. Ceteros scriptores, praecipue Graecos, cum Cicerone conferentibus, qui Homeri verba libris, quos conscripserunt, inseruerunt, facile patet, Iliadem longe praevalere Odysseae; ita apud Platonem[1]) vel Aristotelem[2]) numerus versuum Iliadis altero tanto major est quam Odysseae. Fere idem cadit in epigrammata ex lapidibus collecta, quae ut Homerum imitentur facta sunt, ubi Iliadis multo saepius quam Odysseae sententiae occurrunt[3]). Ciceronem autem quasdam partes carminum, sive Iliadis sive Odysseae praetulisse vix recte dicitur, quamquam desunt deprompta ex Iliadis carminibus Γ, Θ, N, Ξ, O, P, Φ, Ψ, et ex Odysseae non exstant nisi ex his libris: α, γ, η, ι, κ, λ, μ, υ, χ, ω. Itaque per totum fere Homeri opus dissipata esse verba, quibus Cicero usus sit, facile elucet.

Praeter Homerum ceterorum Graecorum poëtarum e carminibus Cicero nonnullas sententias hausit, quos afferre libet, quamquam ex eorum versibus in epistulis allatis, quia numero haud frequentes sunt, nihil certi eruitur, unde statuatur, quousque Cicero eos perscrutatus sit eisque operam navaverit. Primum quidem Cicero multus est in excerpendo Euripide, sane ob ejus dictionem sophistarum more institutam et instructam, et in ceteris scriptis et in epistulis, in quibus duodecim locos, qui Euripidis versiculos praebent, notavimus. Quem quidem poëtam non solum Ciceroni sed Attico quoque satis tritum atque notum fuisse ea re confirmatur, quod, ut etiam apud Homerum factum esse vidimus, persaepe non nisi paucis allatis verbis Cicero lectori satisfecerit, ut exempli gratia verbis: „τὰς τῶν κρατούντων“, vel: „ἑλικτὰ

---

[1]) Sengebusch: Dissert. Homericae I, p. 121.

[2]) Index Aristot, s. v. Ὅμηρος.

[3]) Kaibel: epigrammata Graeca in libro, qui inscr. Memoriae Hom. p. 694, sqq.

καὶ οὐδέν", quae ei, qui Euripidis tragoedias perceptas non habet, plane sensu carent, Phoenissarum Andromachaeque fabularum verba Attico bene cognita in memoriam revocaverit.

Multo autem rarius Sophoclis mentio fit, cujus quidem versus non exstant nisi tribus locis, scilicet primi, secundi, quarti ad Atticum epistularum libri. Cum autem omnes e deperditis tragoediis deprompti sint, nos quidem miramur, cur excellentissimas illas tragoedias, quas nobis servatas esse laetamur, plane neglexerit, cum eas novisse Ciceronem ex ceteris ejus scriptis satis perspicuum sit, ubi versus Ajacis[1]), Electrae[2]), Trachiniarum[3]) in Latinum converterit, quin etiam summum poëtam tragicum Sophoclem habuerit[4]). Cujus rei causa fortasse hoc continetur, quod Sophoclis fabulae talibus sententiis, qualibus Cicero tamquam proverbiis uti posset, minus abundent quam Euripidis. Eadem de causa etiam Aeschyli verba ab epistulis Ciceronis plane abesse suspicor, nisi Aeschyli habendum sit illud „γῆν πρὸ γῆς" (ad Att. XIV, 10, 1.), quod quidem exstat in Aeschyli Prometheo vincto[5]), sed aliis quoque locis invenitur, ut apud Aristophanem, Acharnensium versu 235. Aeschylum autem se adamasse Cicero non negat, cujus et versus in Latinum sermonem converterit[6]) et ipsius nonnumquam mentionem fecerit.

Quod attinet ad comicos poëtas, clarissimus eorum, Aristophanes, quem facetissimum veteris comoediae poëtam esse Cicero ipse dicit[7]), in epistulis commemoratus est, primum quidem tribus allatis versibus Acharnensium

---

[1]) Tusc. disp. III, 71.
[2]) de fin. I, 5.
[3]) Tusc. disp. II, 20.
[4]) Orat. 4.
[5]) v. 681. (ed. Kirchhoff.)
[6]) Tusc. disp. II, 23 et. III, 76.
[7]) de legg. II, 37.

in epistula 8. libri VIII. ad Att., quamvis paullum mutatis verbis. Nam cum apud Aristophanem exstent haec: (v. 659—661.)

„πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω
τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ (καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται)", Cicero haud inepte, ne sententia claudicaret, primum versum ita mutavit:

„πρὸς ταῦθ' ὅ τι χρὴ καὶ παλαμάσθων"; tertius autem ille versiculus etiam in epistula 1. libri VI. invenitur. Deinde Aristophanis mentio injicitur verbis illis: „ἔρδοι τις"[1]), depromptis e versu 1431. Vesparum fabulae, quem in proverbium abiisse Cicero ipse docet[2]). Hoc loco commemorare licet epistulam quandam Aristophaneo modo compositam, ut ipse Cicero dicit[3]), fratris Quinti, qua et valde suaviter et graviter scripta admodum Cicero delectatus est.

Neque ceteros poëtas comicos neglexit, cum etiam Eupolin laudet, cujus rei e multis unum testimonium hoc est, quod Aristophanem et Eupolin se confudisse Attico scripsit[4]). Cum enim haec in „oratoris" § 39. dixisset: „Qui si tenui genere uteretur, numquam ab Eupoli poëta fulgere, tonare, permiscere Graeciam dictus esset", ab Attico ut librario suo, ut quod scripsisset ipse corrigeret, his verbis petiit: „Mihi quidem gratum et erit gratius, si non modo in libris tuis sed etiam in aliorum per librarios tuos Aristophanem reposueris pro Eupoli." Deinde etiam illud „Ταὐτόματον ἡμῶν", quod in epistula 12. libri I. ad Att. invenimus, ex Menandri

---

[1]) ad Att. V, 10, 3.

[2]) Tusc. disp. I, 41: quam quisque novit artem, in hac se exerceat.

[3]) ad. Quint. fr. III, 1, 19. [4]) ad Att. XII, 6, 3.

versu: „Ταὐτόματον ἡμῶν καλλίω βουλεύεται“ [1]) depromptum est. Accedit locus epistulae 20. libri I. ad Att., ubi exstant verba:

„Οἱ μὲν παρ' οὐδέν εἰσι, τοῖς δ'οὐδὲν μέλει“, quem versum Rhinthonis esse Ciceronis ipsius testimonio constat.

Ceteros Graecorum poëtas ne omittamus, eos, quorum versus Ciceroni in epistulis scribendis in promptu fuerunt, paucis commemorare libet; num poëtas lyricos Graecos lectitaverit, certis argumentis probari ac demonstrari non potest. Ciceronem eos non transisse, jam loco quodam oratoris ad Brutum constat, ubi dicit [2]): „Nam in poëtis non Homero soli locus est, ut de Graecis loquar, aut Archilocho, aut Sophocli, aut Pindaro, sed horum vel secundis vel infra secundos.“ Ita ex Hesiodi carminibus in duabus epistulis leguntur haec: „αὐτῷ τῷ μέτρῳ καὶ λώϊον, αἴκε δύνηαι“, qui est versiculus Hesiodi operum et dierum 349. [3]), deinde haec: „τῆς δ'ἀρετῆς ἱδρῶτα“ [4]), quae verbis „θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι“ appositis versum 289. ejusdem carminis efficiunt. Epicharmus autem, vafer ille Siculus, cantilenam suam illam:

„νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν, ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν“ Ciceroni insusurrat [5]), cujus quidem praecepta ut recordaretur, Cicero Quintum fratrem admonuit (ad Quint. fr. III, 1, 23.). Neque Pindari mentio a Ciceronis epistulis abest, cujus carminis cujusdam verba Ciceronis haerentis in dubio animi statum depingunt, scilicet verba: „δίχα μοι νόος, ἀτρέκειαν εἰπεῖν“ [6]), quae exstant in epistula 38. libri XIII. ad Att., alia, scilicet: „ἄμπνευμα σεμνὸν 'Αλφεοῦ“, de-

---

[1]) *γνῶμαι μονόστιχοι* 726. (ed. Meineck.)
[2]) Orat. § 4.
[3]) ad Att. XIII, 12, 3.
[4]) ad fam. VI, 18, 5.
[5]) Verba Ciceronis ad Att. I, 19, 8.
[6]) Pindari frgm. 197. (Bergk.)

prompta e primo carmine Nemeaeo, a Cicerone ex epistula quadam Attici repetita sunt[1]). Ut redeamus ad priorem locum, verba modo allata enuntiatum quoddam antecedit, quod Pindari esse praeter Ciceronem ipsum etiam Plato testatur, scilicet: „πότερον δίκᾳ τεῖχος ὕψιον — ἢ σκολιαῖς ἀπάταις“ [2]), quae eadem in libro II. de re publica leguntur. Haec Cicero ipse quid significarent hoc loco explicuit dicens: „utrum aperte hominem adsperner et respuam“. Comparantibus Ciceronis et Platonis locos apparet, Ciceronem non e Platone sed potius e Pindaro ipso verba illa sumpsisse, id quod etiam ea re confirmatur, quod Pindarus paucis verbis post commemoratur.

Denique notum illud Phocylidis: „καὶ τόδε Φωκυλίδου“, de quo infra dicendum est, in epistula 9. libri IV. ad Att. invenitur. Fortasse etiam initium illud epistulae 13. libri IX. ad Att.: „οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος“ Stesichoro auctore scriptum est, cujus quidem palinodian sic incepisse Plato in Phaedro (p. 243. A) tradit. Ceteros poëtas transire licet, cum, quamquam in ceteris scriptis, in epistulis non commemorentur, inter quos Anacreon, cujus totam poësin amatoriam esse Cicero dicit[3]), aliique habendi sunt.

Augetur autem haec copiosa quasi messis versuum eorum poëtarum, quorum nomina indagare et invenire licet, nonnullis verbis, quorum auctores plane nobis ignoti sunt, quamquam certam poëtarum auctoritatem omnino clamant. Ordinem librorum epistularum ad Atticum secuti primum in libri IV. epistula 8. b invenimus senarium et dimidium comici cujusdam[4]):

---

[1]) ad Att. XII, 5, 1.

[2]) frgm. 197. (Bergk.)

[3]) Tusc. disp. IV, 71.

[4]) frgm. comic. anonym. XXXI. (ed. Meineck.)

„Σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἓν Οὕτως ὅμοιον γέγονεν“, quem sequitur in epistula 11. versus: „οὐδὲν γλυκύτερον ἢ πάντ᾽ εἰδέναι“ [1]), tum invenitur in epistula 3. libri VI. versuum par: „Πολλὰ δ'ἐν μεταιχμίῳ Νότος κυλίνδει κύματ᾽ εὐρείης ἁλός“, quem tragici esse versum imprimis gravior quidam verborum sonus probat. Sequitur locus epistulae 5. libri VIII: „ῥίψαι πολλὰ μάτην κεράεσσιν ἐς ἠέρα θυμήναντα“, quem Alexandrini cujusdam poëtae esse ex oratione et numeris haud absurde Hauptius colligit [2]), quemque Catullus imitatus est dicens (LXIV, 111.): „Nequiquam vanis jactantem cornua ventis.“ Accedit in epistula 22. libri XIV. versus: „ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ'ἀπωθοῦνται ψόγον“, denique in epistula 11. libri XV: „Ἡ δεῦρ᾽ ὁδός σοι τί δύναται νῦν, θεόπροπε“, qui versus in epistula 6. libri XVI. repetitur. In his versibus homines docti plane haerebant et semper fortasse haerebunt, cum neque Cicero ipse nec ceterorum quisquam poëtarum sive auctorum fontem patefecerit, ex quo ea hausisse Ciceronem demonstrari possit.

Omittamus igitur poëtarum versus et animum paullum ad eam quaestionem intendamus, quomodo Cicero proverbiis Graecis, enuntiatis illis senario inclusis itemque sententiis ceteris proverbiorum modo usurpatis in epistulis usus sit. Constat, poëtarum etiam versus praecipue antiquiorum jam priore tempore in proverbia abiisse; cujus rei haec causa est, quod permultis in versibus Homeri vel ceterorum poëtarum analogia quaedam, ut Graeco vocabulo utar, inest cum condicione vel statu quodam vitae vel cum rebus quibusdam; quam in partem fere omnes Homeri ceterorumque versus, qui in epistulis Ciceronis allati sunt, cadunt, quippe qui nihil faciant ad

---

[1]) frgm. com. an. XXXII.

[2]) Hauptius: Index lectionum aestivarum Berolinensium 1855. (Opusc. tom. II.)

sententiam scriptoris aperiendam sed ornamentum venustatemque aspergant sermoni.

Sed primum de proverbiis ipsis agamus, quamquam de eorum fontibus primariis vel auctoribus vix certi quidquam statui potest. Senariorum quidem numerus parvus est, cum major pars proverbiorum, quae Cicero exhibuit, prosa oratione pronuntiata sit.

Ut initium ab epistula 5. libri VI. ad Att. faciamus, accedit ad hunc locum testimonium Ciceronis ipsius: „me objurgavit vetere proverbio: „τὰ μὲν διδόμενα“. Quod quomodo supplendum sit, non nisi divinando assequimur; quod nescio an non incommode fiat ex Platonis Gorgiae paragrapho 499. C, ubi legimus: „καὶ τοῦτο δέχεσθαι τὸ διδόμενον παρὰ σοῦ“, nostro igitur loco: „τὰ μὲν διδόμενα καὶ δέχεσθαι δεῖ“. Apparet igitur etiam in proverbiis afferendis, ut factum est in plurimis poëtarum versibus, Ciceronem non omnia sententiae verba sed partem solum quandam usurpasse, ut quasi notum aliquid vel tritum ei, qui epistulam lecturus esset, in mentem revocaret, id quod et in exemplum modo allatum et in multa alia quadrat. Hoc idem cadit in proverbia Latina, quorum notum est illud „sus Minervam“. Alterum cujus mentionem etiam apud Platonem invenimus proverbium exstat in epistula 11. libri V. ad Att.: „Οἵαπερ ἡ δέσποινα“. Dicit enim Plato[1]):

„ἀτεχνῶς γὰρ αἵ τε κύνες κατὰ τὴν παροιμίαν οἷαίπερ αἱ δέσποιναι γίγνονταί τε δή, καὶ ἵπποι καὶ ὄνοι, πάνυ ἐλευθέρως καὶ σεμνῶς εἰθισμένοι πορεύεσθαι“ e. q. s. Eodem loco Platonis Reipublicae aliud proverbium occurrit, quo Cicero in epistula 9. libri VI. ad Att. usus est: „τοὐμὸν ὄνειρον ἐμοί (suppl. λέγεις)“ [2]).

Ficta non esse haec adagia a Platone, ipse auctor

---

[1]) Res publ. VIII, p. 563. C.

[2]) locus Platonis est: *τὸ ἐμὸν γ'ἔφη, ἐμοὶ λέγεις ὄναρ.* —

est dicens: „κατὰ τὴν παροιμίαν“, ita ut non nisi vetustissimus eorum auctor philosophus ille exsistat. Ceterorum etiam nonnulla ad primarium fontem reducere, si fieri potest, conemur. In epistula 19. libri I. ad Att. legimus: „τὸ ἐπὶ φακῇ μύρον“, quod quidem proverbium ductum est e versu Phoenissarum Strattidis comici, quem Athenaeus IV. p. 160. B tradit: „Παραινέσαι δὲ σφῷν τι βούλομαι σοφόν, Ὅταν φακὴν ἕψητε, μὴ 'πιχεῖν μύρον,“ vel fere eodem loco: (p. 160. C) „Κλέαρχος ὁ ἀπὸ τοῦ Περιπάτου ἐν τοῖς περὶ παροιμιῶν ὡς παροιμίαν ἀναγράφει τό· Ἐπὶ φακῇ μύρον“. Accedit Gellius, qui hujus proverbii in noctium Atticarum libro XIII. cap. 29. mentionem facit. Plane in proverbium abiisse videtur illud „Σπάρταν ἔλαχες, ταύταν κόσμει“, quod primum Cicero ut ab Attico dictum in epistula 20. libri I. verbis: „Σπάρταν, quam mihi dicis obtigisse“, tum totum in libri IV. epistula 6. commemorat. Depromptum est ex Euripidis Telepho[1]), tum commemoratum a multis, denique a Diogeniano paroemiorum collectore in numero proverbiorum receptum est[2]). Vetus porro proverbium est: „ἅλις δρυός“ (ad Att. II, 19.), quod quid sibi velit Zenobius his verbis explicat[3]): „Ἐπειδὴ τὸ ἀρχαῖον οἱ ἄνθρωποι βαλάνοις δρυὸς τρεφόμενοι ὕστερον εὑρεθεῖσι τῆς Δήμητρος καρποῖς ἐχρήσαντο“. Quocum proverbio, quia Cicero scripsit: „ἅλις dignitatis, tamquam δρυός“, verba epistulae primae ejusdem libri „ἅλις σπουδῆς“ comparare licet. Videtur etiam inter proverbia habendum esse illud „κατ' ὀπώρην τρύξ“ — nam ita recte mutatum esse videtur „τραχύς“, quod codices tradunt —, quamquam haec sententia alio testimonio ac Ciceronis plane caret. Proxime ad proverbium accedere illud „εἴη μισητὸς φίλος οἶκος“ verisimile est, quod in

[1]) frgm. 112. (Dindorf.)

[2]) Diogenianus VIII, 16. (corp. paroemiogr. Graec. tom. I.)

[3]) Zenobius II, 40. (c. p. Gr. tom. I.)

epistula 8. a libri IV. legitur; quod quamquam in adagiorum collectionibus nusquam reperitur, tamen ad id genus pertinere propterea suspicor, quod ei simile videtur illud „Οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος", quod in epistula 16. libri XV. usurpatum est quodque proverbium esse Apostolius notat [1]). Sequuntur verba epistulae 20. libri V: „τὰ κενὰ τοῦ πολέμου", quae primum quidem, si codicibus quibusdam fides est, apud Thucydidem [2]) sunt, in adagiis autem a Diogeniano [3]) habentur his verbis explicandi causa appositis: „ἤτοι διὰ τὸ πολλὰ καθ' ὑπόνοιαν νευραῖς ἐψόφουν πρὸς ἔκπληξιν τῶν πολεμίων. Satis notus est, quamquam certo auctore caret, senarius ille:

„πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων",

quo Cicero in epistula 7. libri IX. ad fam. usus est, sicut alius quidam, cujus dimidium in epistula 19. libri I. ad Att. exstat: „τίς πατέρ' αἰνήσει". Eundem senarium Diogenianus [4]) verbis: „εἰ μὴ κακοδαίμονα τέκνα", Plutarchus [5]) verbis: „εἰ μὴ κακοδαίμονες υἱοί" supplevit. Euripideum denique illud „ἄνω ποταμῶν" (Medeae v. 393.), quod teste Hesychio jam Aeschylus usurpaverat, apud Zenobium (II, 56) et Diogenianum (I, 27) invenimus; item a Zenobio in proverbiorum numero habetur (III, 6) versus ille oraculi, qui ab Herodoto (I, 66) traditus est:

„'Αρκαδίαν μ'αἰτεῖς, μέγα μ'αἰτεῖς οὔ τοι δώσω",

cujus mentionem facit Cicero verbo „'Αρκαδίαν" in epistula 5. libri X. ad Att. Commemoranda est hoc loco, ut finem faciamus, sententia quaedam, quam inter proverbia habendam esse nemo negat, cujus tamen primarius fons ignoratur. Cum enim Ciceronis verba haec sint: „μηδὲ δίκην", supplendum est: „δικάσῃς, πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς".

---

1) Apostolius XII, 39. (c. p. Graec. tom. II.)

2) Thuc. III, 30, 2.

3) Diogen. VIII, 30. (c. p. Gr.)

4) Diogen. VIII, 46.

5) vita Arati I.

Primum quidem Cicero ipse testatur, sententiam „ψευδοησιόδειον,“ falso igitur Hesiodo ascriptam esse, neque minus discrepant ceteri, de quorum sententiis conferenda est Mantissa proverbiorum II. 6. (corp. par. Graec.). Mihi tamen vetustissimum quoddam proverbium huic sententiae inesse videtur, cum etiam Aristophanes fere iisdem verbis ea usus sit in Vesparum fabulae versu 725. dicens:

„πρὶν ἂν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς, οὐκ ἂν δικάσαις“.

Haec fere sunt, quae in epistulis Ciceronis propria proverbia Graeca exstant, quibus allatis numerus eorum, quae proverbialiter dicta sint, nondum absolutus mihi videtur, nam primum nonnulli poëtarum versus occurrunt, qui utrum jam priore tempore in proverbia abierint an a Cicerone demum inter ea numerati sint, ambigere possis, ut illud veteris cujusdam poëtae: „ἄλλοις ἐν ἐσθλοῖς τόνδ' ἀπωθοῦνται ψόγον“ vel illud „γῆν πρὸ γῆς“ Aeschyli, vel Euripidis „μισῶ σοφιστήν, ὅστις οὐχ' αὑτῷ σοφός“ nonnullaque alia. Ita etiam haud parvo numero singulorum vocabulorum, quibus Cicero in epistulis usus sit, vis quaedam atque auctoritas proverbiorum inesse videtur, quorum quidem nonnulla apud adagiorum collectores notata sunt.

Primum commemorandum est vetus illud proverbium: „γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας“, quod Cicero duobus locis (ad fam. VI, 3. et ad Quint. fr. II, 16.) affert. Vetustissimus ejus testis Aristophanes est, et in avium fabulae versu 302: „τίς γλαῦκ' Ἀθήναζε ἤγαγεν;“ et aliis locis, e quibus paroemiographi, Gregorius Cyprius et Zenobius hauserunt[1]). Deinde in epistula 23. libri XVI. ad fam. exstant verba: „γόνυ κνήμης“ scilicet ἀπωτέρω ἐστίν, primum a Theocrito usurpata in idyllii XVI. versu 18, quae quidem inter proverbia Zenobius habet[2]).

[1]) Greg. Cypr. II, 11. et Zenob. III, 6.

[2]) Zenob. III, 2.

Accedit Hesiodium illud „Μακάρων νῆσοι“ [1]). Reliquus est locus epistulae 25. libri VII. ad fam. scripti: „σαρδόνιος γέλως“, de quo jam apud Homerum commemoratio fit [2]). Ejus risus explicatio cum jam apud veteres in controversiam atque disceptationem vocata sit, Zenobii verisimillima videtur, quippe qui dicat [3]): „Αἰσχύλος ἐν τοῖς Περὶ παροιμιῶν περὶ τούτου φησὶν οὕτως· „Οἱ μὲν Σαρδὼ κατοικοῦντες, Καρχηδονίων ὄντες ἄποικοι, τοὺς ὑπὲρ τὰ ἑβδομήκοντα ἔτη γεγονότας τῷ Κρόνῳ ἔθυον γελῶντες καὶ ἀσπαζόμενοι ἀλλήλους. αἰσχρὸν γὰρ ἡγοῦντο δακρύειν καὶ θρηνεῖν. Τὸν οὖν προσποίητον γέλωτα Σαρδόνιον κληθῆναι“. Vocem „Ἰλιάς“ usurpatam esse proverbii in modum in epistula 11. libri VIII. ad Att. et Zenobius [4]) et Diogenianus [5]) testificantur dicentes, „Ἰλιὰς κακῶν“ de longa serie malorum dictum esse. Proverbialiter etiam illud „Κωρυκαῖοι“ dictum est, quod nomen genti cuidam Pamphyliae a promontorio Coryco inditum est (ad Att. X, 18, 1.); hujus locutionis primus Menander testimonium affert (frgm. com. IV, 113. ed. Mein.), repetitur deinde, ne ceteros afferendo morer, a Zenobio [6]), qui quid sibi velit his verbis describit: „Κωρυκαῖος ἠκροάζετο· ταύτης Μένανδρος μέμνηται ἐν τῷ ἐγχειριδίῳ. Πειραταὶ γὰρ περὶ Κώρυκον τῆς Παμφυλίας ἦσαν, καί τινες τῶν ἐκ Κωρύκου συμπράττοντες, αὐτοῖς περιεργάζοντο τῶν πλεόντων τὰ φορτία τὸν καιρὸν καθ' ὃν μέλλοιεν πλεῖν, καὶ τοῖς πειραταῖς ἐμήνυον. Τοῦτο μαθόντες οἱ ἔμποροι ἔκρυπτον τὰ πολλά. Ἐπεὶ δὲ καὶ οὕτω τοῖς πειραταῖς ἐγεγόνει, ἐκράτησεν ἡ παροιμία ἐπὶ τῶν δοκούντων μὲν λάθρα πράττεσθαι, εἰς γνῶσιν δὲ ἐρχομένων“.

In proverbialiter dictis cognomen etiam illud, quo

---

[1]) Op. et di. v. 166. Zenob. III, 86.
[2]) Odysseae Y. v. 301/2.
[3]) Zenob. V, 85.
[4]) Zenob. IV, 43.
[5]) Diog. I, 10. et. V, 26.
[6]) Zenob. V, 6.

Cicero Varronem induit, habendum est. In epistula enim 12. libri XIII. ad Att. leguntur haec: „Biennium praeteriit, cum ille „Καλλιπίδης“ assiduo cursu cubitum nullum processerit“. Hoc nomen etiam ab aliis proverbii in modum usurpatum esse testimonio Suetonii confirmatur, qui tradit, Tiberium imperatorem vulgo per jocum ita vocatum esse, simulque haec addit: „Callipides, — quem cursitare ac ne cubiti quidem mensuram progredi proverbio Graeco notatum est“ [1]). „Λόγοισιν Ἑρμόδωρος“ proverbium esse Cicero ipse testatur haec ipsa afferens ad Att. XIII, 20, 4; ad quem accedit testimonium et Suidae et Zenobii, qui his verbis quid significet proverbium illustrat [2]): „λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Ὁ Ἑρμόδωρος ἀκροατὴς γέγονε Πλάτωνος, καὶ τοὺς ἐπ' αὐτοῦ συντεθειμένους λογισμοὺς κομίζων εἰς Σικελίαν ἐπώλει. Εἴρηται οὖν διὰ τοῦτο ἡ παροιμία“.

Cum ad omnia quae modo commemoravimus proverbia testes antiquissimos attulerimus, addenda sunt ea verba, quae inter proverbia habenda esse quamquam neminem fugit, tamen certo testimonio carent. Ut exemplum afferam, jam ex verbis Ciceronis ipsius: „Sed nosti illud . . . .“ (ad fam. IX, 9, 1) sine dubio intellegitur, illud „Διονύσιος ἐν Κορίνθῳ“ notissimam quandam atque tritam esse enuntiandi rationem, cum quidem, qua ratione dictum sit, nemo nesciat, qui historiam Dionysii tyranni perscrutatus sit. Idem cadit in locum epistulae 9. libri IV. ad Att., ubi exstant haec: „καὶ τόδε Φωκυλίδου“, quae jam supra in enumeratione versuum poëtarum commemorata sunt. Scilicet sententia illa est, qua Phocylides praeceptorum suorum initium facere solebat idque tam saepe, ut secundum Strabonis testimonium in libro X. Geographicon haec ipsa verba etiam

[1]) Sueton. vit. Tib. c. 38. [2]) Zenob. V, 6.

ab aliis usurpata essent, cum de Phocylidis sententiis loquerentur, quo factum est, ut ea plane proverbiorum in numero habita sint. Reliquum est, ut brevi enarratione comprehendatur celeberrimum illud enuntiatum: „Γνῶθι σαὐτόν“, a Delphico Apolline, ut traditur, dictum, quod usurpatum et laudatum a scriptoribus omnium temporum, allatum etiam a Cicerone est, Latine in Tusculanarum disputationum libro I. § 52, et in libro de legibus I. § 61, Graece autem in epistula 6. libri III. ad Quint. fr.

Quo tempore Graecorum scriptorum studium per Italiam diffusum est omnesque, quamcumque disciplinam amplectebantur, ex Graecorum scriptis divitiarum copias ingentes perceperunt, etiam rerum scriptores ad praeclaros illos historicos animum converterunt, ut eorum exemplum imitantes non incompte sed ornate, ut illi, res memoria dignas traderent, quamquam illam amoenitatem et elegantiam Graecorum historiae scriptorum praecipue Herodoti numquam secuti sunt. Ciceronem quoque historicorum Graecorum studio se imbuisse nemo negabit, cum ipse commentarium consulatus sui, tum anecdota illa, aetatis suae historiam, Graece scripserit cumque scriptores rerum gestarum praecipue Herodotum Thucydidemque permultis locis laudaverit. Eos locos, qui in ceteris scriptis Ciceronis exstant, comparantibus facile patet, Ciceronis studia, quibus in Herodoto vel Thucydide versaretur, eo pertinuisse, ut ex eis lucrum faceret ad rhetoricam artem exercendam; probat enim Herodoti eloquentiam[1]), laudat ambos, quod longissime a sophistarum deliciis vel potius ineptiis afuerint[2]) Herodotusque sine ullis salebris quasi sedatus amnis fluat. Tum rationem Thucydidearum orationum vituperat: „Orationes

---

[1]) de orat. II, 55. [2]) orat. 39.

quas interposuit, imitari neque possim nec velim"[1]) vel: „Nihil ab eo transferri potest ad forum et publicum usum".[2]) Quod autem ad epistulas attinet, Cicero Herodoti non plus quam duobus locis mentionem inicit: ita verba ejus Graece scripta non invenimus nisi in epistula 5. libri X. ad Att., ubi vox „Ἀρκαδίαν" versum illum oraculi, de quo supra jam dictum est, in memoriam revocat; Thucydidem Cicero breviter tangit, cum de verbis quibusdam, quae scripsit, ita loquatur: „haec fuit, ut ait Thucydides (I, 97): „ἐκβολὴ λόγου"; tum etiam in epistula 8. libri X. duobus locis, primum dicens de Themistocle: „qui quum fuisset, ut ait Thucydides, (I, 138) τῶν μὲν παρόντων δι' ἐλαχίστης βουλῆς κράτιστος γνώμων, τῶν δὲ μελλόντων ἐπὶ πλεῖστον τοῦ γενησομένου ἄριστος εἰκαστής", et paullum infra: „etsi is erat, ut ait idem, qui τὸ ἄμεινον καὶ τὸ χεῖρον ἐν τῷ ἀφανεῖ ἔτι ἑώρα μάλιστα". Neque Platonis sententia: „αἱ γὰρ τῶν τυράννων δεήσεις, οἶσθ' ὅτι μεμιγμέναι ἀνάγκαις," quae in epistula 13. libri IX. ad Att. usurpatur, additis verbis „inquit Πλάτων", auctoris nomine caret. Restant duo loci, quorum prior (ad Att. X. 12.) sententiam illam includit: „ἀρετὴ non est διδακτόν", depromptam ex Aeschinis Socratici dialogo I, alter (ad fam. XV, 19, 2.) Epicuro a Cicerone ipso ascribitur.

Platone commemorato propius accedimus ad ea, quae, quoad ad nostram quaestionem faciunt, de philosophia ac de arte rhetorica dicenda sunt. Nam epistulas accuratius perscrutantes non fugiet, in illis longe quam vulgo creditur graviora testimonia de his subtilioribus disciplinis inesse, imprimis quod Cicero in iis saepissime de fontibus vel auctoribus, quibus usus sit ad conscribendos libros, agit.

Primum quod ad oratores attinet, ut breviter rem

---

[1]) Brutus 287. [2]) Orat. 10.

absolvam, ex rhetoricis Ciceronis scriptis nonnulla afferamus, quibus facile probatur, quanto Cicero ardore neque minus quam ingenti industria in illos inquisierit totumque se abdiderit. Cum enim jam a puero in illorum studiis versatus esset, postea exempla illorum secutus eloquentiam ad summum perfectionis gradum perduxit, ita ut apud omnes sive aequales sive posteriores summa laude dignus haberetur. Quamquam Romanorum nonnullos oratores maximi aestimabat, ut in fine Bruti libri testatus est, tamen solum se ipsum Graecos adaequasse summae sibi laudi duxit. „Quo enim uno vincebamur a victa Graecia, id aut ereptum illis est aut certe nobis cum illis communicatum [1]).“ Praecipue Demosthenem saepissime laudat ejusque fulmina Attico in memoriam revocat [2]); neque ipse dubitavit, orationes illas, quas in Antonium haberet, secutus praeclaras illas Demosthenis actiones contra Philippum regem pronuntiatas, Philippicarum nomine afficere [3]), quem jocum Brutus magna cum voluptate illi concedere se declarat. Neque profecto quisquam alius tam prope ad maximum illum Graecorum oratorem accessit quam Cicero, cui aeque atque illi omnia dicendi genera praesto essent neque umquam verba deessent [4]) sive in altiore sive in familiari sermone. Quis enim imitari possit ejus verborum fulmina? Quin etiam in epistulis scribendis duo genera suppeditabant, quibus magno opere delectabatur, unum familiare et jocosum, alterum severum et grave [5]). Sed redeamus ad verba Graeca. Ex his quid de rhetoricis Ciceronis studiis colligi possit, paucis verbis adumbrare satis est. In universum judicantibus ex omnium Ciceronis operum testimoniis apparet, eum adulescentem oratorum Atticorum

[1]) Brutus 254.
[2]) ad Att. XV, 1 b, 1.
[3]) ad Brut. II, 4, 2.
[4]) ad fam. II, 11, 1. XIII, 63, 1.
[5]) ad fam. II, 4, 1.

studio se imbuisse, deinde arctiores fines transgressum proprium suum dicendi genus excoluisse et Asiaticis rhetoribus appropinquasse, cum id potissimum studeret, ut omnia, quae dicturus esset, apte vel lepide formaret copiosisque verbis ornaret. Posteriores rhetores a Cicerone non afuisse, nonnullis verbis Graecis comprobatur, quae ad rhetoricam disciplinam pertinentia prioribus temporibus nondum usurpata esse videntur, quorum haec fere dignissima sunt:

ἀνθηρογραφεῖν, ἀπαῤῥησίαστος, ἐγκωμιαστικός, ἐμβόλιον, ἐπισημασία, λιτότης, περίοδος, πίνος, τεχνολογία, alia.

In philosophiae Ciceronis studiis haud aliter res se habet, quamquam eorum testimonia in epistulis paullo frequentiora sunt. Primum eum et Platonem et Aristotelem et ceteros philosophos laudasse, approbasse, admiratum esse satis constat, deinde autem ad posteriores se convertit, ut praecipue dialecticam artem exerceret. Quamquam enim primum philosophiae vacabat nihil aliud secutus, quam ut illa in colendis studiis rhetoricis adjuvaretur, tamen paullatim ita in eam inquisierat itaque ei se dederat, ut summam eam disciplinarum esse jurejurando affirmaret[1]). Ita etiam, cum remotus a strepitu urbis et ab omni rei publicae sollicitudine in villis suis vitam otiosam degeret, philosophia solatio ei erat, „cujus in sinum, ut ipse dicit[2]) cum a primis temporibus aetatis nostra voluntas studiumque nos compulisset, his gravissimis casibus in eundem portum, ex quo eramus egressi, magna jactati tempestate confugimus. Quid enim non modo nos, sed omnino vita hominum sine philosophia esse potuisset?“ Praecipue post Tulliae filiae mortem remedium doloris in philosophia quaesivit[3]). Per-

---

[1]) ad Att. II, 13, 2.

[2]) Tusc. disp. V, 5.

[3]) ad. Att. XII, 45, 1.

multos etiam philosophorum libros in Latinum sermonem convertit, quin etiam paucis quibusdam de suo additis plane descripsit, quorum in epistulis sat frequens mentio fit, cum omnia, quae scribere instituisset, ab Attico judicari perpendique vellet.

Ex scriptoribus autem philosophae disciplinae, qui Ciceroni materiam philosophandi praebebant, nonnulla vocabula Graeca deprompsit, quippe quae novas atque Romanis incognitas res significarent. Quorum major pars in ceteris libris, qui ad philosophiam pertinent, exstat; rariora sunt in epistulis sed tamen inveniuntur haec:

αἵρεσις, ἀκαταληψία, ἀκενόσπουδος, ἀναπολόγητον, ἀποπροηγμένον, γεωγραφικά, παρεγχείρησις, πραγματικός, συμφιλολογεῖν, τεχνολογία, φιλόλογος, φυσικός, alia.

Elegimus atque sejunximus hucusque ex ingenti illa caterva verborum Graecorum epistularum Ciceronis ea, quae ad certum fontem, id est ad poëtam vel ad ceterorum quendam Graecorum scriptorum referri possint, enumeravimus deinde nonnulla vocabula, quae praecipue ex philosophis vel rhetoribus deprompta esse videantur; sed magna quae restat multitudo singulorum vocabulorum vel verborum distribui in discretas partes vix potest. Qua in re facile intellegas, partim prioris vel florentis Graecitatis partim labentis verba usurpata esse, unde patet, linguam et illius aetatis, qua litterae maxime florerent, et illius, qua pristina a gravitate vel perfectione aliquantum aberrassent, Ciceronis in ore fuisse. De eis verbis, quae apud omnes Graecorum scriptores usurpata sunt, dicere opus non est, sed inter ea, quae, quamquam aut apud rhetores aut apud philosophos, tamen aliis locis non inveniuntur, multa sunt, quorum primarius testis ante Ciceronis aetatem non exsistit, quod praecipue in terminos qui dicuntur technicos cadit; multa etiam praeter

Ciceronem a Plutarcho solo commemorantur, ut ἀζηλοτύπητον, ἀκαταληψία. Hac in quaestione hoc observandum est: quoniam communis omnium epistularum consuetudo est, ut in iis cotidiano magis sermone utamur quam in ceteris scriptis, id quod Cicero ipse confirmat[1]), leguntur in epistulis multa vocabula Latina, quibus Cicero alibi non usus est. Idem cadit in Graeca verba, in quibus Cicero et ornamenta dicendi non respiciens et necessitate sive properandi sive breviter loquendi adductus saepe verba partim poëtica partim vel tritissima vel usitatissima usurpavit. Praecipue sermo cotidianus ex adverbiorum usu apparet; Cicero enim adverbia Graeca sibi indulgebat, a quibus scriptores Graeci plane abhorrebant, qualia sunt ἀγοητεύτως, ἀκεραίως, ἀκοινωνήτως, ἀκολακεύτως, αὐθεντικῶς, εὐαγώγως, παροινικῶς, πεπινωμένως. Alterum testimonium comparativae et superlativae formae praebent, quarum nonnullae in proprium Ciceronis ipsius usum cadunt, ut ἀπολιτικώτατος, ἀπρακτότατος, ἀστρατηγητότατος, ἀττικώτατα, ἀττικώτερος, γεροντικώτερον, ἐνερευθέστερος, θετικώτερον, λογικώτερος, πολιτικώτατος, παραδοξότατον, φιλοπροσηνέστατα. Ceteras quae in epistulis insunt comparativas et superlativas formas, ut κοινότερος, σεμνότερος, σπουδαιότερος, εὐγενέστερος, πολυγραφώτατος, μετεωρότερος, ἐκτενέστερος, Graeci non repudiabant quidem, sed tam raro usurpabant, ut uno solum testimonio eorum usus demonstrari possit. Ita ut unum exemplum e Graecis scriptoribus afferam, apud Aristophanem verbum joci causa formatum „κιθαρῳδότατος“ Vesparum versu 1278. invenimus.

Sed transeamus ad ea vocabula, quorum Cicero in epistulis primarius testis est, in quibus dubium esse non

---

[1]) ad fam. IX, 21: epistolas vero coditianis verbis texere solemus.

potest, quin alia a Cicerone ipso sive jocose sive secreto dicendi causa ficta sint, alia quandam legitimae formationis speciem habere videantur, ita ut, quamquam certo Graeci scriptoris testimonio carent, tamen etsi non pervulgata atque trita, certe quidem comprobata videantur.

Primum ea commemoremus, quae a Cicerone ipso ficta sunt, cujus rei causam infra explicabimus. Ut initium faciamus a voce illa „ἀδικαίαρχοι", quae in epistula 12. libri II. ad Att. occurrit, illam fictam esse ludendi causa e nomine Dicaearchi peripatetici perspicuum est; sine dubio Cicero ejus sententias de rebus publicis laudat; simul autem alludit ad etymologiam, ut Graeco vocabulo utar, quasi dicatur ἀδίκαιος pro ἄδικος, ita ut eos viros, quos hoc cognomine vituperat, et adversarios Dicaearchi, qui eorum magister esse debuerit, et injustos magistratus appellet. Similem rationem vocabulum „σηστιωδέστερον" sequitur, quod a Sestii nomine derivatum est. Significant enim adjectiva illa derivata ex substantivis apposita terminatione „ωδης" et eam rem, qua persona vel res aliqua abundat, ut θρηνώδης, ξυλώδης et eam, quae apta est substantivo, a quo derivatum est adjectivum ipsum; ita habemus in duabus epistulis libri I. vocem „γυμνασιώδης," dictam de statuis vel aliis ornamentis, quae gymnasio Ciceronis apta sunt, hoc autem loco epistula quaedam „σηστιώδης" dicitur, quia plane more et ratione Sestii scripta esse videtur. Quo major autem inesset vis hac in voce, Cicero ut formaret novum vocabulum sibi indulsit neque adjectivum „Sestianus" usurpavit, ut in epistula 32. libri VII., ad fam., cum alibi e nominibus propriis talia derivare non auderet. Accedit verbum „φαλαρισμός", quo Cicero rationem agendi, qua Phalaris usus sit, significat. Derivatum esse videtur a voce aliqua φαλαρίζω, ut ἀγωνισμὸς ab ἀγωνίζομαι μηδισμὸς a μηδίζω, φιλιππισμὸς a φιλιππίζω. Deinde ha-

bemus in epistula 8. libri X. ad Att. vocem „πλουδοκῶν", qua significatur is, qui πλοῦν, id est navigandi occasionem exspectat. Hic quoque Cicero analogiam secutus esse videtur, imitatus fere talia: δωροδοκέω, ξενοδοκέω, πανδοκέω; haec enim ex adjectivis in „δόκος" exeuntibus, scilicet e vocabulis δωροδόκος, ξενοδόκος, πάνδοκος derivata esse statuendum est, δόκος autem cognatum est cum verbo δέχομαι. Aliter res se habet in „φαινοπροσωπεῖν", quo cum vocabulo vix aliud conferri potest. Ciceronem autem sibi conscium fuisse justae formationis hujus verbi hac re confirmatur, quod duobus locis diversissimis [1] sine ulla haesitatione eo usus est. Quod attinet ad vocabulum „τρισαρειοπαγίτης", quae sit ejus vis, haud in dubio est, cum permulta verba exstent, quae et cum aliis numeralibus adverbiis et praecipue cum vocabulo „τρίς" composita sunt ut: τρισάθλιος, τρίσμακαρ, τρισόλβιος, τρισκακοδαίμων, quae quidem et adjectiva et substantiva sunt. Contra „στρατύλλαξ" vocabulum, quod in epistula 15. libri XVI. ad Att. usurpatum est, suam rationem sequitur, cum similia non inveniantur. Nam quod invenimus apud Plautum „stratilax", quo nomine servum in Truculenti fabula induit, plane eodem pertinere videtur, quin suspicor, ex eodem fonte, nimirum comico quodam nunc deperdito utrumque hausisse. Atque comprobatur haec suspicio ea re, quod codex Mediceus lectionem „stratillax" habet. In epistula 10. libri II. ad Quint. fr. „μουσοπάτακτος" occurrit, quod cum numquam nisi hoc loco inveniatur, a Cicerone fictum esse verisimile est; sed tamen inter ea habendum est, quae, quamquam rarissime et fere omnia uno solum loco usurpantur, ita formata sunt, ut in dubium vocari non possint; ita cum μοῦσα voce alia multa componuntur, exempli gratia μουσόληπτος, quod

---

[1]) ad Att. VII, 21, 1. et XIV, 22, 2.

Plutarchus exhibet, vel μουσόφθαρτος, μουσοφίλητος, μουσόπλευστος, similia.

Sed transeamus ad ea, quorum quamquam Cicero unicus testis est, tamen propius ad usitata verba accedere videntur. Haec enumerantes ordinem litterarum sequamur.

ἀναντιφώνητος (ad Att. VI, 1, 23.) et

ἀναντιφωνησία (ad Att. XV, 13, 2.) quod significat: τὸ μὴ ἀντιφωνεῖν. Proxime accedunt haec duo vocabula ad vocem ἀντιφωνέω; praefixum „ἀν" Ciceroni attribuendum est, qua in re haec exempla secutus est: ἀναντάγνωστος, ἀναντίῤῥητος.

ἀναπάντητος (ad Att. IX, 1, 9.) eadem ratione cum verbo ἀπαντάω cohaeret.

ἀνεξία (ad Att. V, 11, 5.) ab ἀνεκτὸς voce derivatum est, ita ut ἀταξία ex ἄτακτος, ἀπραξία ex ἄπρακτος, ἀποπληξία ex ἀπόπληκτος. Hac voce Siculos usos esse illorumque ad sermonem patrium eam pertinere, his verbis Ciceronis comprobatur: „Ego hanc, ut Siculi dicunt, ἀνεξίαν in unum annum meditatus sum".

ἀνιστορησία (ad Att. VI, 1, 18.) cum ἀνιστόρητος vocabulo ita cognatum est ut ἀναντιφωνησία, ἀναλγησία cum ἀντιφώνητος, ἀνάλγητος aliaque multa.

ἀντιμυκτηρίζειν (ad fam. XV, 19, 4.),

ἀφομιλεῖν (ad fam. XVI, 17, 2.).

ἐντυραννεῖσθαι (ad Att. II, 14, 1.). Apparet haec composita esse e vocabulo quodam usitato et praepositione, qua Cicero notionem simplicis verbi pluribus modis variaret. Ita ἀντιμυκτηρίζειν cum μυκτηρίζειν fere tali modo cohaeret quali ἀντιμάχομαι, ἀντικατατείνω cum μάχομαι, κατατείνω. Contra ἀφομιλεῖν, quamquam unde derivatum sit procul dubio est, tamen quid significet non plane perspicitur. Fortasse contrarium significat quam ὁμιλεῖν, scilicet: non versari, quod si ita se habet, ean-

dem rationem sequitur atque ἀπογίγνομαι, quod significat: abesse. Denique ἐντυραννεῖσθαι analogiam habet in talibus vocibus quales sunt ἐνδυναστεύω, ἐμβασιλεύω, aliae.

ἀπολιτικώτατος (ad Att. VIII, 16, 1.) et ἀφιλόδοξος (ad Att. II, 17, 2.) cum ἄλφα privativo conjuncta non nisi his locis inveniuntur, quamquam πολιτικώτατος et φιλόδοξος aliorum scriptorum testimoniis comprobantur.

εὐθανασία (ad Att. XVI, 7, 3.), quo verbo etiam Suetonius in vitae Augusti cap. 99. usus est, inter Graecos omni teste caret; quod attinet ad formationem vocis, e contrario: ἀθανασία audacia quadam dicendi ducta est.

εὐρίπιστος (ad Att. XIV, 5, 2.) a vocabulo ῥιπιστός originem traxit, quod adjectivum verbale est verbi ῥιπίζω, ita ut εὐσκιαστός derivatum est ex σκιάζω.

λάπισμα (ad Att. IX, 13, 4.), si lectioni fides habenda est, a λαπίζω ductum est, ut σχίσμα a σχίζω aliaque.

ὁμόπλοια (ad Att. XVI, 4, 4. et 1, 8.) comparandum est cum ceteris vocabulis, quae cum „πλοια" composita sunt, ut ἀντίπλοια, ἄπλοια, εὔπλοια.

πρόπλασμα (ad Att. XII, 41, 2.) praeter Ciceronem etiam apud Plinium in historiae naturalis libro 35. c. 12. invenitur; apud Graecos autem solum simplex verbum exstare videtur.

συμφιλοδοξεῖν (ad Att. V, 17, 2.), συμφιλολογεῖν (ad fam. XVI, 21, 8.), συμφιλοσοφεῖν (ad Att. IV, 16, 10.) familiari sermoni attribuenda sunt, in quo ut ratio una agendi suffixo „συμ" exprimatur, concessum fuisse existumo.

φιλένδοξος (ad Att. XIII, 19, 3.) eadem ratione formatum est ac φιλενδείκτης, φιλένδοτος, φιλένθεος, quae apud posteriores scriptores inveniuntur.

φιλοπροσηνής (ad Att. V, 9, 1.), quod Cicero compo-

suit eo consilio e προσηνὴς et „φιλο“ voce, ut significaret bonam voluntatem, qua quis agat. Idem cadit in φιλοπροσήγορος, φιλομειδής.

χρηστομαθής (ad Att. I, 6, 2.) primum analogiam secutum est multorum verborum, quae ex „μαθ“ ut stirpe derivata, compositione facta terminationem „μαθής“ exhibent, inter quae habenda sunt ἀμαθής, δυσμαθής, πολυμαθής, φιλομαθής. Deinde etiam χρηστὸς vocabulum a compositionibus non abest, nam inveniuntur χρηστογραφία, χρηστολογία. Exstant etiam verba χρηστομαθέω et χρηστομάθεια.

φυρατής (ad Att. VII, 1, 8.) ex φυράω derivatum est ut πλανήτης e πλανάω.

ψευδησιόδειον (ad Att. VII, 18, 4.); praeter cetera verba etiam nomina propria cum stirpe vocis ψεῦδος componuntur ut ψευδαριστοφάνειος, Ψευδάρταβας.

Sed quam de fontibus verborum instituimus quaestionem absolvimus. Videmus his vocabulis examinatis nonnulla eorum, quorum notitia apud ceteros scriptores non inveniatur, licentiae attribuenda esse, qua familiarior quidam sermo usus sit. Quam licentiam praecipue in genere dicendi, quod in epistulis scribendis adhibeatur, maximam esse non modo e Graecis vocabulis sed e tota indole epistularum omnium temporum perspicuum est. Hac re factum etiam illud est, ut in epistulis Ciceronis inter singula verba Graeca inveniantur et quae apud omnes scriptores usitatissima sint et quae nemo nisi posterioris temporis rhetores vel grammatici usurpent et nonnulla quae e cotidiano sermone repetita sint.

II.

De causis, cur Cicero Graeca verba usurpaverit.

Disputatum est hucusque de origine verborum Graecorum, quae in epistulis Ciceronis exstant, qua in re et poëtarum versus notavimus et quae proverbialiter dicta sunt distinximus et ea commemoravimus, quibus priores aut posteriores Graecorum scriptores usos esse constat, tum ea, quae certo testimonio carent et a scriptoribus Graecis absunt; nunc de causis dicendum est, cur omnino Cicero verbis Graecis in epistulis usus sit. Quarum causarum duplex ratio est; aut ei poëtarum verba vel proverbia erant afferenda, aut Graece scribere praeferebat, cum vox Latina suppeteret et alias eam non repudiasset. Qua in re primum hoc dicendum est, libertatem quandam familiaritati concessam, quae nusquam magis quam in epistulis scribendis appareat, causam fuisse, cur Cicero mixto illo, ut ita dicam, Graecolatino sermone usus sit, id quod praeterea ea re confirmatur, quod plurimae quae huc pertinent epistulae ad Atticum, familiarissimum amicissimumque Ciceronis scriptae sint. Qua ex familiaritatis ratione repetendum est, si quando Cicero aut poëtarum verba attulit aut occulte aut jocose Graece quaedam dixit. Epistularum enim est, licentia quadam uti et verba elocutionesque minus diligenter elegere itemque

dicendi rationem usurpare, quae quidem ei, ad quem epistula datur, perspicua sit, ab aliis autem vix intellegatur.

Jam ut paucis denotemus, quantopere singuli epistularum libri varient numero verborum Graecorum, multo major eorum pars in epistulis ad Atticum scriptis inest, ut supra diximus. Earum enim tantum a tertio et undecimo libro Graeca absunt, cum contra in epistularum libris ad familiares raro inveniantur, exceptis tamen libris VII, IX, XIII (ep. 15.), XV (ep. 16—19.), XVI. Illud quidem, quod a duobus libris epistularum ad Atticum Graeca absunt, sicut probe miramur, ita haec eadem res aliquid momenti affert ad mirationem tollendam. Scilicet cum totus liber III. anno urbis conditae 696., id est tempore exilii a Cicerone scriptus sit, maeror vel luctus animi Ciceronem impediit, ne Graece scriberet vel in epistulis jocaretur. Neque aliter se habet res libro XI, quippe cujus epistulae et in castris Pompei et Brundisii scriptae tristissimum vitae Ciceronis tempus depingant. Angebatur enim cum clade Pompei tum omnium partium in se ipsum odio et suspicione, ad quae accedebant res domesticae afflictae. Ita multa de rebus familiaribus questus cum dixisset, gravissimas poenas temeritatis suae, quod et Pompeji et Caesaris amicitiam repudiavisset, se pependisse, Attico de difficultatibus rei aerariae scripsit [1]): „Sed haec minima ex iis injuriis, quas accepi, de quibus ad te dolore et lacrimis scribere prohibeor“ et paullo infra: „Quanto maerore urgear, profecto vides: me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis“ [2]). His temporibus Graecum sermonem in epistulis plane neglexit, non aliter ac multis aliis locis, cum dolor aliquis aut maeror animum ejus vexabat. Inter ceteros libros verba Graeca ita distributa atque dispersa sunt, ut modo rarius modo frequen-

[1]) ad Att. XI, 2, 2. [2]) ad Att. XI, 4, 2.

tius usurpentur, sicubi occasio se obtulerit. Cur Cicero iis usus sit, permultis locis plane in dubio est, quamquam haud raro res argumentis illustrari potest.

Omnibus temporibus consuetudo multorum hominum est, poëtarum versus et orationi inserere et in cotidiano sermone semper in promptu habere. Itaque Ciceronem ab hac consuetudine non abhorruisse, ob familiarem epistularum sermonem nihil offensionis habet, nam usus ascribendorum versuum poëtarum laeti et jocantis animi, qui a maerore tristitiaque abest, signum est. Cujus rei testimonium nobis suppeditatur ex ipsius Ciceronis verbis; dicit enim in epistula 51. libri XIII. ad Att., se ad Caesarem scripsisse ac si πρὸς ἴσον ὅμοιονque scriberet, eaque ipsa epistula, quam hic designat, — est enim ep. 15. libri XIII. ad fam. — plane referta est Homeri et Euripidis versibus.

Causas, cur Cicero poëtarum verba usurpaverit, enumerare longum est. Ut paucis comprehendam, fere omnia nulla alia ac proverbiali ratione exhibita sunt; proverbiorum autem usus satis notus est, ut etiam illa omittere liceat.

Inter omnes constat, Ciceronis epistulas non modo fontem multo gravissimum atque locupletissimum ad cognoscendam Ciceronis ipsius vitam esse, sed iis totum quo vixit ille tempus tamquam speculo expressum esse, cum ille praecipue ad Atticum omnia scriberet, quae in re publica agebantur quorumque ipse pars magna erat. Sed ut in talibus rebus fit, maxime ei providendum erat, ne quis alius sentiret ea, quae secreto ad Atticum scribebat, neve fraudulenti infidelesque nuntii epistulas interciperent. Quantopere enim nuntiis diffisus sit, ipse testatur dicens [1]:

---

[1]) ad Att. I, 9, 1.

„Itaque brevior haec ipsa epistula est, quod, quum incertus essem, ubi esses, nolebam illum nostrum familiarem sermonem in alienas manus devenire"; vel[1]): „Sed idcirco sum tardior, quod non invenio fidelem tabellarium — quotus enim quisque est, qui epistulam paullo graviorem ferre possit, nisi eam pellectione relevarit?"

Qua de causa Cicero in epistulis scribendi rationem obscuram neque aliis perspicuam instituit, cujus mentionem his verbis facit[2]):

„Posthac ad te, aut si perfidelem habebo, cui dem, scribam plane omnia, aut, si obscure scribam, tu tamen intellegas".

Quin etiam nomina mutavit, nam pergit eodem loco:

„In his epistulis me Laelium te Furium faciam, cetera erunt ἐν αἰνιγμοῖς".

Paullo post autem novi timores in eum irruperunt, ita ut scriberet[3]):

„Jam enim charta ipsa, ne nos prodat, pertimesco; itaque posthac, si erunt mihi plura ad te scribenda, ἀλληγορίαις obscurabo"; vel infra:

„Quod scripseram te Furium scripturum, nihil necesse est, tuum nomen mutare; me faciam Laelium et te Atticum, neque utar meo chirographo, neque signo, si modo erunt ejusmodi litterae, quas in alienum incidere nolim."

Talibus in secretis epistulis Ciceronem Graeca lingua usum esse, epistula quaedam libri VI. docet[4]): „Bis ad te antea scripsi de mea re familiari, si modo tibi redditae litterae sunt, Graece ἐν αἰνιγμοῖς"; vel in praecedente epistula: „Illud praeterea μυστικώτερον ad te scribam, tu sagacius odorabere."

Cum jam Ciceronis ipsius testimonio comprobaveri-

---

[1]) ad Att. I, 13, 1.
[2]) ad Att. II, 19, 5.
[3]) ad Att. II, 20, 3.
[4]) ad Att. VI, 7, 1.

mus, eum ad secretum aliquid dicendum Graeco sermone usum esse, enumerare liceat quosdam locos, quibus demonstratur, Ciceronem verba Graeca pro Latinis sumpsisse, ne quis alius atque Atticus de eis, quae scripsisset, certior fieret. Maximi hac in re momenti duae epistulae sunt, ad quas Cicero alludit verbis supra allatis: „Bis ad te scripsi" e. q. s. — epistulae sunt quarta et quinta libri VI. ad Att. — Scilicet in epistula 4. scribit:

„Τῆς δάμαρτός μου ὁ ἀπελεύθερος — οἶσθα ὃν λέγω — ἔδοξέ μοι πρώην ἐξ ὧν ἀλογευόμενος παρεφθέγγετο, πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐκ τῆς ὠνῆς τῶν ὑπαρχόντων τοῦ Κροτωνιάτου τυραννοκτόνου. Δέδοικα δὴ μή τι νοήσῃς. εἶς δήπου τοῦτο δὴ περισκεψάμενος τὰ λοιπὰ ἐξασφάλισαι." Agitur hic de Philotimo liberto, qui calculos ex emptione bonorum turbaverit; cum enim πεφυρακέναι rationes eum dicat, φυρατὴν appellat paullo post[1]); quod autem attinet ad Κροτωνιάτην τυραννοκτόνον, Milonem intellegi vult, sed, ne nomine allato secretum violet, tyrannicidae cognomen ei addit, quia Clodium interfecerit, Crotoniatae autem, ut eum cum Milone athleta Crotone ex urbe orto commutaret, quem aliis locis[2]) commemorat. De eadem re Atticum docet in epistula, quae hanc sequitur: „Τῆς ξυναόρου τῆς ἐμῆς οὑξελεύθερος ἔδοξέ μοι θαμὰ βατταρίζων καὶ ἀλύων τοῖς ξυλλόγοις καὶ ταῖς λέσχαις, ὑπό τι πεφυρακέναι τὰς ψήφους ἐν τοῖς ὑπάρχουσι τοῖς τοῦ Κροτωνιάτου."

In eadem epistula cum Cicero de pecuniis solvendis ageret, aeque atque in prioribus nomina mutavit. Ne totum locum afferam, id breviter tangam, quod ad mutationem vel dissimulationem nominum attinet. Et primum quidem Romam urbem „ἄστυ ἑπτάλοφον" appellat, quod nomen urbis jam antiquitus pervulgatum fuisse inde

---

[1]) ad Att. VII, 1, 8.

[2]) de fato § 30. Cato major 27 et 33.

patet, quod Romani dies festos Septimontii ad septem colles urbis referebant.[1]) Deinde Timothei liberti nomen obscuratum et verbis: „τὸν δ'ἀπελεύθερον, ὄντα ὁμώνυμον τῷ Κόνωνος πατρί.“ De Crotoniaticis autem jam supra dictum est.

Neque minoris momenti in hac quaestione verba epistulae 9. ejusdem libri sunt: „Παραφύλαξον, si me amas, τὴν τοῦ φυρατοῦ φιλοτιμίαν αὐτότατα“. Quem φυρατὴν significare voluerit Cicero, paullo antea exposui, sed augetur nostro loco obscuritas dictionis voce „φιλοτιμία“, quae vox quamquam usitatissima, artificio quodam Ciceronis singulariter de Philotimi ratione agendi usurpata est.

Gravissima haec argumenta sunt, Ciceronem Graeco sermone usum esse, si quid vellet secreto dicere. Sed etiam in ceteris verbis Graecis, si recte vidimus, nonnulla sunt, quae ejusdem generis esse videntur. Cum enim ad verba: „Est enim ἄμορφον, ἀντιπολιτευομένου χρεωφειλέτην esse[2])“ Cicero addit haec: „Sed haec et multa alia coram“, dubium non est, quin Graeca illa sententiae occultandae causa usurpaverit. Eadem ratio aliorum locorum est[3]), in quibus Antonium „Τεῦκριν“ mulierem vocat, cum ejus ut proconsulis Macedoniae nomen in rebus argentariis aperte proferre non ausus sit; neque aliter de Pompejo in epistula 17. libri II. ad Att. egit, cum et nomine Sampsicerami, regis Emesenensium[4]) eum indueret, et Graece scriberet: „Ὁμολογουμενως τυραννίδα συσκευάζεται“, quam quidem intimam ejus ipsius cogitationem, ne latius increbresceret, prohibere studuit.

Sed haec sufficiant, quamquam multa alia „μυστικώτερα“ vel recondita manent, quorum ratio illustrari at-

[1]) Varro de lingua L. V, 7, 41.

[2]) ad Att. VII, 8 finis.

[3]) ad Att. I, 12, 1: 13, 6; 14, 7.

[4]) Strabo XVI, 2, p. 753.

que explicari non potest, nisi comparatis epistulis ipsius Attici, quas jam deperditas esse dolemus.

Nunc vero transeamus ad aliam causam, qua adductus Cicero copiose epistulas Graecis vocibus locupletaverit. Namque illud quidem omnino constat, ad familiarem epistularum sermonem etiam lepide vel jocose dicta pertinere, neque dubium est, quin inter Graeca illa, de quibus agimus, multa sint, quae ad hoc genus dicendi spectent. Ut uno verbo tangam composita illa ficta a Cicerone ipso, quae supra commemoravi, in propatulo est, ἀδικαίαρχοι, σηστιωδέστερον, φαλαρισμός, τρισαρειοπαγίτης aliaque hujus modi per ludum jocumque dicta esse. Ceterorum liceat nonnulla afferre. Primum alludit Cicero jocans ad cognomen Attici dicens [1]):

„Quamquam vereor, ne cognomine tuo lapsus ‚ὑπεράττικος‘ sis in judicando; sed si recordabere Δημοσθένους fulmina, tum intelleges posse et ἀττικώτατα gravissime dici.“

Senatum vituperans „Ἄρειον πάγον“ appellat [2]) item Lentulum in legatione Gallica: „τὸ ἐπὶ τῇ φακῇ μύρον“ [3]); neque minus lepide scribit de doctrina Cyri architecti [4]): „Fenestrarum angustias, quod reprehendis, scito te ‚Κύρου παιδείαν‘ reprehendere“. Cum autem „Τηλέπυλον Λαιστρυγονίην“ Formias [5]), vel epistulam Antonii „σκυτάλην Λακωνικήν“ [6]) appellat, joci aliquid inesse probe intellego. Hoc etiam in nonnulla proverbia, quorum supra mentio

[1]) ad Att. XV, 1 b, 2.
[2]) ad Att. I, 14, 5.
[3]) ad Att. I, 19, 2.
[4]) ad Att. II, 3, 2.
[5]) ad Att. II, 13, 2.
[6]) ad Att. X, 10, 3. Significatur brevis secretaque epistula, quam Lacedæmonii ducibus suis mittere solebant, ut Gellius docet (Noct. Att. XVII, c. 9.).

facta est, cadit. Ne nomina propria, quibus Cicero amicos suos vel inimicos jocoso sermone induit, qualia sunt Sampsiceramus, Alabarches aliaque commemorem, hujus tantum rei mentio facienda videtur, quod vocem „'Αππιάδα" secundum Παλλάδα vocem finxit[1]), ut cognomen ab Appio Claudio ductum Minervae indueret. Ita etiam alio loco[2]) ex eodem nomine verbum „Appietas" formavit. Inter eas epistulas, quae facetiis vel jocis Graeco sermone prolatis conditae sunt, speciminis causa illa habenda est, quam Cicero Volumnio scripsit[3]). Huc etiam verba illa pertinere mihi videntur, quae finem epistulae 9. libri II. ad Att. faciunt: „Καὶ Κικέρων ὁ μικρὸς ἀσπάζεται Τίτον τὸν 'Αθήναιον", quae fere ad verbum in epistula 12. redeunt: „Καὶ Κικέρων ὁ φιλόσοφος τὸν πολιτικὸν Τίτον ἀσπάζεται".

Quibus locis Marcum filium Ciceronis significari in propatulo est; divinari igitur lubet, filium Ciceronis ea adjecisse, ut peritiam suam linguae Graecae probaret et studiorum suorum testimonium Attico proferret, se patre magistro tirocinium Graecum ingressum esse. Contra Ciceronem ipsum ea scripsisse minime constat, quia et verba connexu cum antecedentibus carent et Attici nomen totum redit. Fortasse etiam epistulae 15. finem: „ea tibi igitur et Κικέρων ἀριστοκρατικώτατος παῖς, salutem dicunt", quamquam Graeca verba plane Latinis conjuncta sunt, Marcus filius scripsit, ut studium suum optimatium verbo manifestaret. Itaque ex his epistulis colligimus, quanta suavitate amoenitateque Cicero cum mellito, ita enim eum appellabat[4]), filio jocari atque colloqui soleret.

Sed longe maximi momenti ad quaestionem, quam de causis Graecorum verborum instituimus, expediendam

---

[1]) ad fam. III, 1, 1.
[2]) ad fam. III, 7, 5.
[3]) ad fam. VII, 32.
[4]) ad Att. I, 18, 1.

liberalium artium disciplinae sunt, dico philosophiam artemque rhetoricam. Qua in re initium faciendum est a titulis librorum, quorum Cicero in epistulis mentionem facit, sive laudans, quos legerat, sive poscens, qui ei mitterentur legendi. Ita duobus locis [1]) Platonis πολιτείαν commemorat; frequens autem commemoratio librorum Dicaearchi peripatetici est, Aristotelis discipuli, quorum nonnullos Cicero in epistulis Graeco cum titulo affert; ita invenimus libros superscriptos: Πελληναίων, Κορινθίων, 'Αθηναίων (scil. πολιτεῖαι) [2]), tum librum καταβάσεως [3]), libros duos περὶ ψυχῆς et Τριπολιτικόν, ne afferantur nisi qui Graecis litteris expressi sint. Accedit Aristoteles, cujus ἐξωτερικοί qui dicuntur libri occurrunt [4]), deinde Ἀριστοτέλους et Θεοπόμπου πρὸς 'Αλέξανδρον (λόγοι συμβουλευτικοὶ περὶ βασιλείας) [5]); Panaetii quoque Stoici, cujus praecepta Cicero in eis, quae de philosophia scripsit, nonnumquam secutus est, duo libri proprio titulo Graeco commemorantur, scilicet Παναιτίου περὶ προνοίας [6]) et τὰ περὶ τοῦ καθήκοντος [7]), quae Cicero in libro de officiis tractavit, ne omittamus Phaedri Atheniensis philosophi [8]) libros: Φαίδρου περὶ θεῶν et Παλλάδος [9]).

Quod autem attinet ad Terentium Varronem, quem πολυγραφώτατον esse Cicero dicit [10]), primum „προσφώνησιν" quandam commemorat, quam magnam et gravem sibi denuntiavisse declarat [11]), qua quidem Cicero illum libros de lingua Latina sibi dedicaturum esse significat. Πεπλογραφία autem, cujus titulus Ciceroni soli debetur [12]), liber

[1]) ad. Att. II, 1, 8. et IV, 16, 3.
[2]) ad Att. II, 2, 2.
[3]) ad Att. XIII, 31, 2. et 32, 2. et 33, 2.
[4]) ad Att. IV, 16, 2.
[5]) ad Att. XII, 40, 2.
[6]) ad Att. XIII, 8.
[7]) ad Att. XVI, 11, 4.
[8]) ad fam. XIII, 2, 2 sqq.
[9]) ad fam. XIII, 39, 2.
[10]) ad Att. XIII, 18.
[11]) ad Att. XIII, 12, 3.
[12]) ad Att. XVI, 11, 3.

Varronis est, in quo virorum illustrium laudes descripserat, titulum repetens de peplo ab Atheniensibus Minervae consecrato, in quo virorum fortium res gestae pictae erant. Restat „Ἡρακλείδειον" illud, quod, et de Varrone et de Cicerone dictum, Heraclidis Pontici scribendi rationem significat[1]). Etiam libri Νίκωνος περὶ πολυφαγίας ad medicinam pertinentis mentio fit[2]) neque minus Xenophontis Κύρου παιδείας[3]) vel Θεοφράστου περὶ φιλοτιμίας[4]) vel Demetrii Magnetis, amici Attici, περὶ ὁμονοίας[5]). Quin etiam Cicero sua ipsius opera, quae ad philosophiam vel rhetoricam spectant, ut plane e Graecorum scriptis deprompsit, ita in epistulis Graecis titulis affecit. Ita „γεωγραφικὰ" secundum Eratosthenem scribere instituit[6]), loquitur de „περὶ τελῶν σύνταξι"[7]) vel de „Ἀκαδημαϊκῇ σύνταξι[8])"; deinde dicit se confecisse libros quinque „περὶ τελῶν[9])", agit etiam de inscriptione libri „περὶ τοῦ καθήκοντος," num καθῆκον officio verti possit[10]).

Jam vero examinanda sunt, quae fere ceterorum verborum Graecorum in philosophiae vel rhetoricae disciplinam cadant. Qua in re primum locum tenet exemplum quoddam quaestionum illarum, quae a philosophis disputandae proponebantur quaeque „θέσεις" appellabantur. Disputantium enim more Cicero quoque in otio θέσεις secum reputabat, ut animum a querelis abduceret neque totum se aegritudini daret. Cum enim diu haesitaret, utrum Italiam relinqueret an in villis suis rema-

[1]) ad Att. XV, 4, 3; 13, 3; 27, 2.
ad Att. XVI, 2, 6; 11, 3; 12.
[2]) ad fam. VII, 20, 3.
[3]) ad fam. IX, 25, 1.
[4]) ad Att. II, 3, 3.
[5]) ad Att. VIII, 11, 7; 12, 7 (de concordia). IX, 9, 2.
[6]) ad Att. II, 6, 1.
[7]) ad Att. XIII, 12, 3.
[8]) ad Att. XIII, 12, 3 et 16, 1.
[9]) ad Att. XIII, 19, 4.
[10]) ad Att. XVI, 11, 4.

neret, ad hunc finem ϑέσεις πολιτικὰς instituit, in quibus id quod facturus esset secum disputaret Atticoque mandaret. Ita dicit[1]):

„Σοφιστεύω enim simul ut rus decurro atque in decursu ϑέσεις meas commentari non desino. Sed sunt quaedam earum perdifficiles ad judicandum.“ Quales autem sint illae ϑέσεις, exempla, quae Attico misit, nos docent[2]):

„Εἰ μενετέον ἐν τῇ πατρίδι τυραννουμένῃ; τυραννουμένης δ' αὐτῆς. εἰ παντὶ τρόπῳ τυραννίδος κατάλυσιν πραγματευτέον κἂν μέλλῃ διὰ τοῦτο περὶ τῶν ὅλων ἡ πόλις κινδυνεύσειν; εἰ εὐλαβητέον τὸν καταλύοντα, μὴ αὐτὸς αἴρηται; et quae sequuntur.

Altera quam paullo amplioribus verbis Graecis Cicero instituit quaestio ad mathematicam vel geometricam disciplinam pertinet. Cum enim Atticus fenestras, quas Cyrus architectus angustiores fecisset, reprehendisset[3]), quia κατ' εἰδώλων ἐμπτώσεις, id est incursione imaginum visiones fierent, Cicero Cyri opinionem secutus ἔκχυσιν, id est effusionem radiorum esse contendit, id quod descriptione geometrica, pictura lineari sine dubio ascripta, Attico explicavit.

His duobus locis haud parvus numerus addendus est eorum verborum, quae in epistulis Graecam formam induerunt, quod tamquam termini qui dicuntur technici e Graeco sermone deprompta sint, cum versio Latina non exstiterit, quo in numero habenda sunt:

ἀγών, de contentione rhetorica, ἀλληγορίαι, ἀναλογία, ἀττικισμός, διάλογος, ἐξωτερικός, ἔπος de carmine heroïco, ζήτημα, ϑεωρία, κανών, λακωνισμός, λιτότης, λογικός, παράδοξον, περιοχαί, περιπατητικός, πρᾶξις, πρόβλημα, σοφιστεύειν, σχόλιον, ὑπόϑεσις, ὑποϑήκη, φιλολογία, φιλοσοφία et quae ab

---

[1]) ad Att. IX, 9, 1.

[2]) ad Att. IX, 4, 2.

[3]) ad Att. II, 3, 2.

his duobus derivata sunt, φυσικός, χαρακτήρ, multa alia. Quorum haud pauca, quia jam apud Latinos pervulgata erant, aliis locis Latine scripta invenimus ut philologus, philosophia, dialogus, geographia, alia.

Non minoris autem momenti ea sunt, quae ad medicinae artem pertinent; omnibus enim fere locis, ubi Cicero de morbo vel de aegritudine dixit, terminos technicos Graecos usurpabat, quippe qui, cum medicinam artem praecipue Graeci profiterentur, nondum in Latinum sermonem pervenissent. Liber X. epistularum ad Atticum nonnulla exempla praebet; primum in epistula 10. Cicero ita loquitur: „Δυσουρία tua mihi valde molesta, medere amabo, dum est ἀρχή“, ubi etiam status incipientis morbi Graeco termino expressus est; vel paullum infra[1]) Antonium dicit „περὶ κοιλιολυσίαν γίνεσθαι“. Natalem autem filii diem Attico his verbis annuntiat[2]):

„Tullia mea peperit XIIII. kal. Jun. puerum ἑπταμηνιαῖον; quod ηὐτόκησεν gaudeo“. Cum Caesar apud eum deverterat in Puteolano, Cicero de hospite suo dicit: „Unctus est, accubuit, ἐμετικὴν agebat[3])“, quo ex loco intellegitur, Caesarem, ut homines lautiores consueverant, post coenam vomitum esse, ut alvum cibo exoneraret, qua de consuetudine Caesaris idem Cicero in oratione pro Dejotaro rege habita agit dicens[4]): „Cum vomere post coenam te velle dixisses, in balneum te ducere coeperunt.“

Neque in epistulis ad familiares scriptis medicorum termini desunt; cum enim Cicero se intestinis laborare queritur, his utitur[5]): στραγγουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη, δυσεντερία, διάῤῥοια. — Ceteri qui occurrunt hi sunt:

---

[1]) ad Att. X, 13, 1.
[2]) ad Att. X, 18, 1.
[3]) ad Att. XIII, 52, 1.
[4]) pro Dejot. § 21.
[5]) ad fam. VII, 24.

„χολὴν ἄκρατον ejeci[1]), κακοστόμαχος[2]), διαφόρησις[3])". Quibus addantur, quae Cicero medicorum more Tironi praescribit: „πέψις, ἀκοπία, περίπατος σύμμετρος, τρῖψις, εἰλυσία κοιλίας[4])."

Sed restat alia causa, cur Cicero epistulis verba Graeca inseruerit; scilicet Atticus ceterorumque amicorum nonnulli in epistulis, quas Ciceroni scripserant, pari modo ac Cicero ipse verba Graeca usurpasse videntur. Ut firmissimum testimonium afferam, inter epistulas, quae ad familiares dicuntur, nonnullae ab aliis Ciceroni scriptae exstant, quibus aeque atque epistulis Ciceronis disperse Graeca vocabula immixta sunt. Ita in epistulis Curii (ad fam. VII, 29), Caelii (XIII, 3), Lentuli (XII, 14), Trebonii (XII, 16), Ciceronis filii (XVI, 21), Cassii (XII, 13 et XV, 19) vocabula Graeca modo rarius modo frequentius inveniuntur. Sed aliis quoque locis, ubi epistulae non exstant, Cicero aliorum vestigia secutus Graeca usurpavit, id quod saepissime inde apparet, quod verba „tuum illud" vel „quod tu scripsisti", vel „quod tu ais", alia addit.

Hujus rei praeclarum exemplum epistula 10. libri IX. ad Att. praebet, in qua Cicero tota Attici enuntiata repetiit suaeque epistulae inseruit, unde facile cognoscimus, Atticum non minus quam Ciceronem ipsum Graeco sermone usum esse. Ceterorum nonnulla attulisse satis sit. Ita dicit, Curionem consulatum suum „ἀποθέωσιν" vocasse[5]); deinde commemoratio illius oraculi: „Σπάρταν ἔλαχες, ταῦταν κόσμει", prius ab Attico facta esse videtur, quia Cicero in epistula 20. libri I. his verbis ejus mentionem facit: „Eam quam mihi dicis obtigisse Σπάρταν". Idem cadit in illud „ἅλις σπουδῆς", cui additum est: „ut

1) ad fam. XIV, 7, 1.
2) ad fam. XVI, 4, 1.
3) ad fam. XVI, 18, 1.
4) ad fam. XVI, 18, 1.
5) ad Att. I, 16, 13.

tu ais“[1]). Etiam adhortatio illa: „ut πολιτικῶς me geram et τὴν ἔσω γραμμὴν teneam“, Attici est[2]). Deinde Atticum scripsisse: „se ἐπέχειν velle“, quod fere idem est ac „dicendo parcere“, duabus Ciceronis epistulis comprobatur[3]), quibus dicit: „ἐπέχειν te scripseras (scribebas)“. Accedit verbum „ὑπέρευ“, quod crebram Attici „ἐκφώνησιν“ esse Cicero notat[4]). Sed etiam poëtarum verba epistulis Attici non desunt, quamquam hujus rei sat pauca testimonia afferri possunt. Primum comitatum Caesaris secundum Homerum „νέκυιαν“ appellat, quo nomine liber XI. (A) Odysseae carminis inscribitur; nam ut in illa Homeri νεκυίᾳ umbrae frequentes ad Ulixem, ita homines perniciosissimi flagitiosissimique ad Caesarem confluebant. Qua voce Atticum usum esse, Cicero duabus epistulis testatur dicens[5]): „quam illam νέκυιαν, ut tu appellas, timere“, vel postea[6]): „quae, ut tu soles dicere, νέκυια!“ Illud etiam „ποῦ σκάφος τὸ τῶν Ἀτρειδῶν“, quod e vetere tragico poëta depromptum videtur, Attici esse hac re constat, quod additum est: „ut scribis[7])“. Itaque etiam nonnulla eorum vocabulorum, quae alio loco non inveniuntur quaeque licentiae ejus, qui epistulam scripsit, tribuenda sunt, non ad Ciceronem sed ad Atticum ut primarium fontem referenda sunt. Fortasse „ἀναντιφωνησία“ illa prius ab Attico commemorata est[8]) neque minus εὐθανασία, quae quidem vox enuntiato Attici inserta est[9]).

Quod denique attinet ad nomina propria, quae Cicero Graeco sermone ediderat, eum certum consilium secutum esse non dicam, cum nomina et Latine et Graece scripse-

---

[1]) ad Att. II, 1, 8.
[2]) ad Att. IV, 8b, 4.
[3]) ad Att. VI, 6, 3 et 9, 3.
[4]) ad Att. X, 1, 3.
[5]) ad Att. IX, 11, 2.
[6]) ad Att. IX, 18, 2.
[7]) ad Att. VII, 3, 5.
[8]) ad Att. XV, 13, 2.
[9]) ad Att. XVI, 7, 3.

rit, unde apud quaedam eorum codicum scripturae plane inter se discrepantes ortae sunt. Hominum nomina nonnumquam Graece scripsit, ut Δημοσθένης, Πλάτων, Εὐριπίδης, Ἡρώδης, Θεοφάνης, Εὔπολις, ubi lectio Latina non offendisset. In paucis certa causa patet, cur Graeca uteretur scriptura, ut in „Τεῦκρις,“ quod nomen simulatum est, vel in „Ἰλιάς“, quod proverbialiter dictum est. Sed tamen nos miros habet, quod tam raro nomina propria terrarum vel urbium vel locorum Graece pronuntiata sint, praecipue ea, quae vere Graeca sunt, quamquam Cicero alias a Graeca scriptura non abhorrebat. Ita, cum praetoris munere in Cilicia fungebatur, nusquam nomina illa Graece exhibebat, sed Latinam scripturam semper praeferebat. Unus solus locus, qui propriam explicandi rationem habet, excipiendus est, scilicet finis § 3. ep. 2. libri VI. ad Att., ubi Cicero Phliasiorum nomen commemorat, quod e Dicaearchi tabulis repetierit. Nam cum de iis loquatur, hac occasione oblata Atticum monet, incolas Phliuntis urbis non Phliuntios sed Phliasios appellatos esse. Nam se ipsum primo analogiam decepisse, ita ut rationem secutus talium nominum ut Ὀποῦς, Σιποῦς, quae Ὀπούντιοι, Σιπούντιοι exhiberent, „Φλιούντιοι“ scripsisset; sed hac in re se errasse dicit. Hoc loco, quod rarissime fit in epistulis, necessitate quadam Cicero adductus est, ut Graecam scripturam pro Latina poneret.

Haec fere sunt verba Graeca, in quibus certa causa apparet, cur a Cicerone allata et epistulis inserta sint: scilicet sunt, quae partim proverbiorum modo afferantur, partim jocoso sermoni inserviant, partim ad secreta quaedam occultanda usurpentur, partim terminorum technicorum necessitatem habeant, partim denique ex aliorum epistulis deprompta sint; sed in hanc divisionis formam

non omnia quae exstant vocabula quadrant. Quamquam enim permultis locis facile intellegimus, qua causa Cicero adductus sit, ut Graece scriberet, tamen restant haud pauca, quorum qui sit usus vel quae condicio apud Ciceronem plane nos fugit. Itaque etiam permulta suam quaeque interpretationem poscunt, quippe quae maxima ex parte ei, qui epistulam legit, perspicua sint, abrupte autem prolata sensu facile careant, quorumque singula afferre hac de causa interpretis vel commentatoris omnium Ciceronis epistularum munus est. Sed tamen nonnulla enumerare lubet.

Scripsit Cicero in epistula 16. libri I. ad Att: „ut jam πρὸς τὸ πρότερον revertar", quo dicto Attico verba in memoriam revocavit, quae initio epistulae protulerat: „respondebo tibi ὕστερον πρότερον Ὁμηρικῶς", quod quid sit nemo nescit, qui Homeri carminum rationem mente tenet. Deinde in epistula 16. libri II. est: „Si possum discedere . . . . satis faciam publicanis, εἰ δὲ μὴ" (scil. possum discedere), ubi plane non perspicuum est, cur Cicero Graecam vocem praetulerit. Idem cadit in finem epistulae, quae hanc sequitur: „Aliquid ex ejus sermone poterimus περὶ τῶν ὅλων suspicari". Accedunt in epistula 19. verba: „τυφλώττω et nimium τῷ καλῷ προσπέποντα", quorum fortasse causa haec est, quod illa verba distinctius quam Latina lingua id, quod Cicero dicturus erat, circumscribunt. Maxima autem difficultas inest hujusmodi locis: „Sed tamen μηδὲν αὐτοῖς — scis reliqua" [1]. Utrum autem his verbis versiculus aliquis poëtae insit an vox quaedam e cotidiano sermone deprompta, plane nos fugit, quia tam abrupte posita sunt. Suspicamur solum atque e connexu cum eis, quae antecedunt, divinamur, Ciceronem Attico scripsisse, ut sibi ipsi caveret,

---

[1]) ad Att. VI, 1, 16.

neque quid iis confideret, de quibus locutus esset. Hoc idem cadit in permulta alia verba, quae, ne longius moremur, transimus.

Deinde magna pars verborum hac de causa Graece scripta sunt, quia saepissime, quod Latine pluribus verbis, Graecis uno dicere licet, quem ad finem etiam nostrates peregrina lingua uti solent. Inter haec praecipue composita habenda sunt, quorum pauca addam, ut: ἀδέσποτος, ἀδύνατον, ἀκενόσπουδος, ἀκηδία, ἀκοινώνητος, ἀνεκτός, ἀντιπολιτεύομαι, ἄφατον, εὐανάτρεπτος, κακοστόμαχος, συμφιλοσοφεῖν. Accedunt autem alia, quorum notio in Latino sermone plane non exstat quorumque propria vis vel pondus circumscriptione facta paullum minuitur vel evanescit. Ita ἄκουσμα Latine vix exprimas neque ἀλληγορίαι, ἀνθηρογραφεῖν, ἀταραξία, ἐγγήραμα, ἐπισημασία, alia, in quibus praecipue ea sunt, quae supra inter terminos technicos notavi.

Tali in re quantum Graeca lingua Latinam superet, uno exemplo demonstrabo, vocabulo πολιτικός. Tribus enim locis[1]) haec vox significat rem (opus, epistulam) ad rem publicam spectantem, civilem; quatuor contra locis[2]) viros rei publicae deditos ejusque peritos, uno loco[3]) libros de re publica scriptos, altero[4]) res civiles, tertio[5]) conventum rei publicae causa factum.

---

[1]) ad Att. IX, 11, 2; 18, 4; VII, 8, 3.
[2]) ad Att. I, 18, 6; IV, 6, 1; XII, 23, 2; 51, 2.
[3]) ad Quint. fr. II, 14, 1.
[4]) ad Att. I, 13, 4.
[5]) ad Att. XIII, 30, 3.

III.

Ad crisin faciendam quid lucri redundet e verbis Graecis.

In arte critica epistulis Ciceronis adhibenda viri maxima doctrina insignes summam operam posuerunt, quos inter Orellius, Baiterus, Hofmannus, Wesenbergius primum locum tenent. Negari non potest, emendationem epistularum Ciceronis inter difficillima munera hominum doctorum habendam esse, cum Attici epistulis amissis multa in obscuro sint, ita ut saepissime ne divinari quidem possit, utrum lectio quaedam probanda sit an non. Haeremus igitur non modo in talibus locis, qui ex discrepantia codicum vel editionum aliquid offensionis habere videantur, sed etiam in talibus, qui, quamquam de codicum lectione dubitari non potest, ut Ciceronis verbo utar, „μυστικώτεροι“ sint et, quia intima ejus Atticique familiaritate initiati non sumus, nobis legentibus sensu plane careant. Itaque fere nulla epistula summam integritatis formam, quae omnium criticorum judicio probetur, exhibet.

Certe maximam difficultatem verba Graeca praebent, cum plurimis scripturae vitiis scateant, quia codicum scriptores minimam diligentiam eis adhibuerint. Quod inscientia linguae Graecae factum esse plane patet. Hic

velim tibi in memoriam revoces vocabula illa a Cicerone ipso ficta aut secundum aliorum exemplum derivata formataque, quae quidem verba, cum ab imperitis codicis scriptoribus singulae eorum litterae ordine descripta sint, persaepe maximos errores traxerunt. Quae cum non nisi conjectando sanari possint, diversi viri critici alii aliam viam emendandi ingressi sunt. Ita in epistula 11. libri V. ad Att. codex Mediceus, cujus auctoritatem maximam esse mox videbimus, exhibet: NOMAHAPIA, littera N litterae H subscripta. Hoc in vocabulo alii „νομάνδριαν" conjecerunt, alii Bosii auctoritatem secuti „νομανάνδριαν" scripserunt. Cum autem utrumque vocabulum alterius scriptoris praeter Ciceronis testimonio careat, cumque etiam librarii lapsu unum aut alterum eorum depravatum esse possit sive omissione sive repetitione litterarum, omnis emendatio incerta est. Tamen verba Graeca, quamquam vitiis scatent, haud parvum momentum afferunt ad aestimandos codices, ita ut id miremur, quod nemo hominum doctorum hucusque illorum vestigia secutus, codicum auctoritatem perpenderit. Namque ut deteriorum codicum editionumque lapsus nulla alia re tam facile deteguntur quam vocabulis Graecis examinandis, ita certissima vestigia vetustatis codicum ex iisdem enitent. Hanc in rem accuratius inquirere liceat.

Maximam auctoritatem codicum Mediceorum esse constat, et codicis Plut. XLIX. num. XVIII., quo continentur epistulae ad Atticum, ad Quintum fratrem, ad Brutrum, ad Octavianum, et codicis Plut. XLIX. num. IX., quo continentur epistulae ad familiares, de quorum origine et condicione et Orellius in praefatione ad epistulas (tom. III. editionis operum Ciceronis), et Hofmannus in libello, qui inscribitur: „Der kritische Apparat zu Ciceros Briefen an Atticus geprüft" (Berolini an. 1863),

et Voigtius[1]) et novissimis temporibus Schmidtius[2]) disputaverunt, quorum vide libros.

Praeter Mediceos codices praecipue adnotationes Cratandri Basileensis editionis anni 1528. laudantur, quae ex antiquissimo codice depromptae videntur. Hujus codicis quae sit ratio cum Mediceo, utrum et hi et ille ex eodem archetypo fluxerint, an omnino cognatio non intercedat, examinatis verbis Graecis divinare licet. Restat Turnesianus codex, a Lambino, Turnebo, Bosio collatus, sed cum in Graecis vocabulis fere nullius momenti sit, ab hac disputatione seclusimus. Bosii conjecturis fidem non habendam esse, infra demonstrabimus.

Jam, ut initium faciamus epistularum ad Atticum, primum de codice Mediceo videamus, cujus lectiones in apparatu critico editionis Tauchnitzianae a Baitero accuratius quam in Orelliana editione exaratae sunt. Bandinus in catalogo codicum Latinorum bibliothecae Laurentianae cum alia tum haec commemorat:

„Graeca verba suis locis sunt exarata charactere quadrato eademque ad oram libri repetita occurrunt charactere minore et cum interpretatione Latina et quidem ab manu Coluccii Pierii de Stignano, ut se calce ultimae paginae subscribit“ e. q. s., quod falsum esse infra demonstrabo.

Certe primo aspectu intellegitur, maximam fere partem verborum Graecorum a scriptoribus codicis ita corruptam esse, ut facile contendas, illos Graecae linguae

---

[1]) *G. Voigt:* Ueber die handschriftlichen Ueberlieferungen v. Ciceros Briefen in: Berichte über die Verhandlungen d. kgl. sächs. Ges. d. Wissenschaften (phil. hist. Classe), tom. XXXI, 1879.

[2]) *Otto Ed. Schmidt:* Abhandlungen d. phil.-hist. Cl. d. kgl. sächs. Ges. d. Wissenschaften, tom. X, f. VI, 1887.

sat imperitos fuisse. Satis constat [1]), maximam exeunte medio aevo inscientiam fuisse linguae Graecae apud Italos, usque ad id tempus, quo doctissimorum virorum opera studia antiquitatis jamdudum obliterata atque obruta renascerentur novamque dignitatis speciem induerent. Cum autem per totum hoc temporis spatium lingua Latina apud urbanos nobilioresque viros pervulgata esset, neque defuerunt, qui codices Latinos describerent, neque qui ad hoc munus suscipiendum satis linguae Latinae periti essent. Sed in Graeco sermone aliter res se habet. Franciscus quidem Petrarca, qui inter primos renascentibus studiis antiquitatis operam navabat, undequadraginta annos natus [2]) lineamentis linguae Graecae se exercuit, cum Latinam linguam jam priore tempore studiis perscrutatus esset. Inde patet, neque scriptorem archetypi codicis Medicei, qui duorum fortasse saeculorum spatio ante Petrarcam fuisset, neque librarios, qui exeunte saeculo XIV. p. Chr. n. codicem descripsissent, sat idoneos fuisse, qui integritatem textus servarent vel quod corruptum esset, emendarent. Mira igitur neglegentia eos in verba Graeca invasisse, maxime dolendum est. Editorum posterioris temporis erat, illorum vitia corrigere, textum integrum reddere. Hoc unum codicis scriptoribus et librariis laudi tribuendum est, quod saepissime in vocabulis Graecis singulas litteras quam potuerint accuratissime descripserint, ordine partim servato partim turbato, id quod ad emendandum aptius videtur quam si, quod nonnullis locis factum est, litteras Graecas, quas non noverant, Latinis explerent. Quod Bandinus de iis dicit, scilicet in margine scripta ea esse Coluccii manu, longe a veritate abest, quia Coluccius Graecae linguae

---

[1]) *Gardthausen:* Griech. Palaeographie, pag. 419 sqq.

[2]) anno 1343, p. Chr. n.

inscius erat, et quia in ejus autographis manus plane alia est. Eandem ob causam ne Donati quidem esse possunt. Primum Voigtius, quocum Schmidtius consentit, ex epistula quadam Ambrosii Traversarii comprobavit, ea Manueli Chrysolarae attribuenda esse. Locus epistulae is est: (ep. VI, 6 rec. Canneto:) „Ciceronis epistulas ad Atticum, quibus noster Manuel restituit Graecas litteras.“ Quae emendationes cum neque ab Orellio neque a Baitero a ceteris lectionibus distinctae sint, quid de iis judicandum sit, nescio.

In examinando codice Mediceo quatuor depravationum genera discernimus, quae secuti fere omnia scriptorum vitia detegemus atque perpoliemus. Primum saepissime confusio litterarum vel characterum exstare videtur, ita ut transpositione facta locus sanetur. Tum, quod maxime imperiti librarii testimonium est, litterae Graecae inter se ipsas mutatae sunt, ita ut altera pro altera sumpta sit, quod infra exemplis demonstrabimus. Deinde saepissime omissio litterarum et ex similitudine et ex confusione cum iis, quae ante vel post positae sunt, exorta occurrit. Denique persaepe scriptura Latina Graecae loco posita est, unde maxima difficultas exsistit, quia permultis locis dubium est, utrum lectio Latina retinenda an rejicienda sit. Et hoc quidem praecipue in nomina propria cadit, quae Cicero ipse suo arbitrio modo Graece modo Latine scripsisse videtur.

Et primum quidem de confusione litterarum exempla quaedam afferemus:

ad Att.	I, 14, 2.	ΑΡΙCΤΟΚΑΤΡΙΚΩC pro ἀριστοκρατικῶς.
	IV, 8a, 1.	ΕΙΜΗΙCΗΤΩ pro εἴη μισητός.
	VI, 1, 17.	CΠΟΝΔΕΑΙΖΟΝΤΑ pro σπονδειάζοντα.

ad Att. VI, 8, 5. ΑΗΤ ΠΟΛΕΥΤΕΤΟΜΕΝΟΥ pro ἀντιπολιτευομένου.
VIII, 5, 1. ΚΑΕΡΕCCΙΝ pro κεράεσσιν.
IX, 9, 3. ΤΕΤΟ pro τότε.
X, 15, 2. ΑΓΕΝΕΑΙC pro ἀγενείας.
XIV, 5, 1. ICΕΙΤΗCΑC pro ἡσιτήσας.
XV, 13, 1. ΗΡΑΚΛΕΙΑΕ(Ρ)ΟΝΙ pro Ἡρακλείδειον.
—, 19, 2. CΧΕΔΙΑCΑΜ pro σχεδίασμα.
—, 27, 2. ΑΡΗΚΛΕΙΔΕΟΙΝ pro Ἡρακλείδειον.

Hosce omnes locos fere nullo alio labore nisi transpositione litterarum facta restitui in propatulo est. Idem hoc quod postremo attuli vocabulum, ut paullum in eo subsistamus, praeclarum exemplum praebet, quanta neglígentia codicis scriptores in verbis Graecis scribendis usi sint. Cum enim unus tantum locus in codice Mediceo integram lectionem praebeat, scilicet ad Att. XVI, 12: „Ἡρακλειδείῳ“, quinque loci corruptelas exhibent. Ita scriptum est:

ad Att. XV, 4, 3. ΗΡΑΚΛΕΙΔΙΟΝ
—, 13, 3. ΗΡΑΚΛΕΙΑΕΡΟΝΙ
—, 27, 2. ΑΡΗΚΛΕΙΔΕΟΙΝ
XVI, 2, 6. ΗΡΑΚΛΕΙΔΙΟΝ
—, 11, 3. ΠΡΑΚΑΕΙΑΕΟΝ.

Hanc quam modo exemplis illustravimus viam emendationis ingressi, permultos locos restituimus et sanamus. Difficilior contra quaestio est in perturbatione litterarum Graecarum, quae similem scripturae speciem prae se ferunt; in iis primum habendae sunt litterae Α, Λ, Δ, quarum confusio sat frequens est; accedit littera Μ, quacum non modo ΑΛ, ΛΑ, ΔΑ, ΑΔ, ΛΛ, sed etiam IN vel NI saepe confunduntur; neque minus erratum est inter

N et H, vel inter Π, H, N, vel inter Γ, T, I; conjunctio etiam vocalis I cum Γ vel T saepissime speciem Π secum traxit. Haud aliter res se habet in litteris O, Θ, Φ. Quod attinet ad ω — nam ita scriptam esse O productam in codice nostro ex erroribus qui inde orti sunt, pro certo habendum est, — id signum partim pro littera O, partim pro litteris OC vel CO et vice versa positum est. Maximam fere perturbationem inter EI et I et E notavimus, cum et I pro EI et EI pro I sit. Υ vero littera et formam I et formam Γ exhibere videtur. Quamquam haec maxime pervulgata vitia sunt, tamen aliorum insuper ingens numerus exstat, quorum nonnulla exempla postea afferemus.

Jam in prima epistula libri I. verbum ΑΛΥΝΑΤΟΙΙ invenitur, quod „ἀδύνατον" significare necesse est, quamquam „ἀδύνατοι" in margine scriptum est. Similiter haec se habent:

I,	12,	1.	ΤΑΥΤΟΜΑΤΟΝ pro ταυτόματον.
—,	14,	1.	ΑΜΡΙCΤΟΚΑΤΡΙΚΩC pro ἀριστοκρατικῶς.
II,	1,	3.	CΠΟΥΑΗC pro σπουδῆς.
IV,	6,	2.	ΟΠΛΟC pro ὀπαδοί.
V,	20,	6.	ΑΑΜΙΤΡΑ pro λαμπρά.
VII,	8,	4.	ΕΝΥΔΝΟC pro ἐνυάλιος.
IX,	6,	4.	ΑΛΛΑΛΛΛΥΚΤΜΑΙ pro ἀλλ᾽ἀλαλύκτημαι.
—,	11,	4.	ΕΥΑΜΜΟΝ pro εὐδαίμονα.
—,	18,	3.	ΑΛΛΤΕΥCΑΝ pro λαλαγεύσαν.
X,	2,	1.	ΜΜΤΕΥCΑ pro λαλαγεύσα.
—,	12,	7.	ΔΙΜΚΤΟΝ pro διδακτόν.
XV,	29,	2.	ΡΑΚΔ pro παρά.
XVI,	6,	2.	ΑΕΥΡ pro δεῦρ', alia.

His exemplis satis demonstratum videtur, quanta confusio inter litteras „Λ" speciem exhibentes sit, neque

miramur, quod saepissime videmus, earum unam vel alteram propter similitudinem excidisse; ita in ΟΠΔΟΙ pro ὀπαδοί, quod jam attulimus, Α omissa est, idem in

VI, 1, 22. ΧΑΚΕΙΩΝ pro χαλκείων.
XI, 15, 4. ΛΑΜΕΝ pro ἀλλὰ μέν.
XIV, 13, 1. ΑΛΛΙΗΝ pro ἀλλὰ λίην.
XV, 12, 2. ΔΙΜΕΙΝΗ pro διαμείνῃ, aliis.

Litterarum Η, Ν, Π hi fere errores luculentissimi sunt:

I, 16, 5. ΗΥΝ pro νῦν.
II, 14, 1. ΕΗΤΙΡΑΝΗΕΙCΘΑΙ pro ἐντυραννεῖσθαι.
VII, 6, 2. ΑΝ pro δή.
—, 13a, 1. ΙΙΡΩΑ pro ἥρωα.
VIII, 8, 2. ΚΑΠΑΗΤΕΗ pro καὶ πάντ' ἐπ'.
XII, 29, ΕΝΓΠΡΑΜΑ pro ἐγγήραμα.

Etiam Κ in Η aberravisse videmus in vocabulo ΟΙΗΕΙΟΝ pro οἰκεῖον (I, 10, 3.). Quantum autem errorem litterae Ε, Ι, Υ traxerint, non nisi paucis exemplis demonstrare liceat. Ita factum est ex Υ IC in vocabulo ΕΝΕΠΕΡΠΕΡΕΙCCΑΜΗΝ (I, 14, 4.), deinde Υ pro Ι legendum est in his locis:

II, 14, 1. ΕΝΤΙΡΑΝΗΕΙCΘΑΙ pro ἐντυραννεῖσθαι.
IV, 7, 2. ΟΙΧΟCΙΗ pro οὐχ' ὁσίη.
V, 21, 4. ΤΑΥΗΙΠΙΡΟΝ pro γλυκύπικρον.
—, 21, 13. ΟΔΙΟ pro ὁδοῦ.
X, 1, 3. ΙΠΕΡΕΙ pro ὑπέρευ.
—, 10, 6. CIN pro σύν.

Etiam Ε pro Υ invenitur, ut exempli gratia:

V, 20, 6. ΠΕΦΕCΙΩΑΙ pro πεφυσίωμαι.
IX, 11, 2. ΝΕΚΕΙΑΝ pro νέκυιαν.
XV, 27, 1. ΠΑΝΕ pro πάνυ.

Litteras Ε, Ι. ΕΙ confusas exempli gratia his locis notavimus:

II, 3, 3. ΠΟΛΕΙΤΕΙΑΝ pro πολιτείαν.

—, 9, 4. ΜΕΙΚΡΟC pro μικρός.

—, 12, 3. ΟΞΥΠΙΝΟC pro ὀξύπεινος.

IV, 7, 2. ΦΘΙΜΙΝΟΙCΙΝ pro φθιμένοισιν.

VI, 2, 3. ΦΛΕΙΟΥC pro Φλιοῦς.

—, 5, 2. ΟΦΙΛΗΜΑΤΩΝ pro ὀφειλημάτων.

—, 9, 3. ΟΝΕΡΟΝ pro ὄνειρον.

XII, 4, 2. ΨΕΙΛΩC pro ψιλῶς.

Quod attinet ad litteras Γ et Τ, facillime scriptoris lapsu evenit, ut una pro altera habita sit atque in textum venerit, id quod nonnulla exempla testantur; Conjunctam autem cum vocali I, et litteram Γ et Τ in litterae Π formam exiisse satis constat; cujus rei haec fere testimonia dignissima sunt:

I, 14, 2. ΤΕΝΙΚΩC pro γενικῶς.

II, 18, 1. CΚΟΤΟC pro σκοπός.

IV, 6, 2. ΤΑΤΟΙ pro ταγοί.

IX, 7, 3. ΛΕΠΩ pro λέγω.

X, 12, 5. ΙΤΡΟΤΕΤΥΧΘΑ pro προτετύχθαι.

XII, 25, 2. ΕΤΤΗΡΑΜΑ pro ἐγγήραμα.

XVI, 1, 3. ΟΝΟ ΜΟΤΤΛΟΙΑΙ pro ἐν ὁμοπλοίᾳ.

Magni momenti hac in re Latinorum usus erat, quod pronuntiationem secuti „ng“ vel „nc“ scriberent, cum Graeci „γγ“ vel „γκ“ usurparent. Hac re sine dubio factum est, ut nonnulla vocabulorum Graecorum Latinae scripturae formam induerint; ita legimus:

II, 3, 1 et II, 12, 1. ΕΥΑΝΤΕΛΙΑ pro εὐαγγέλια.

XII, 29 et XII, 14, 2. ΕΝΤΗΡΑΜΑ pro ἐγγήραμα.

XV, 26, 1. ΨΕΟΥΔΕΝΓΡΑΦΩΣ pro ψευδεγγράφῳ.

Finem facimus litteris Ο, Ω, Θ, Φ. Et primum quidem Ο μικρὸν et Ω μέγα saepe confunduntur, et ita quidem, ut Ο conjunctum cum I vel, quod plerumque accidit, cum C formam ω litterae Ω exhibeat. Quomodo autem

Θ in O aberrare possit, sua sponte explicatur. Contra Φ littera, cur scriptores linguae Graeca imperitos fefellerit, ex rariore ejus usu repetendum esse videtur. Pauca exempla afferre sufficiat:

II,	3,	2.	ΤΩΑΕ pro τόδε.
II,	3,	3.	ΑΡΙCΤΟΚΛΡΑΤΙΚΟC pro ἀριστοκρατικῶς.
IV,	8a,	1.	ΜΙCΗΤΩ pro μισητός.
XIII,	39,	2.	ΟCΩΝ pro θεῶν.
XIV,	16,	3.	ΚΑΤΑ ΜΙΤΩΝ pro κατὰ μίτον.
XV,	12,	1.	CΠΝΟC pro σεμνῶς.

Tertium quod supra indicavi depravationum genus, scilicet omissio singularum litterarum vel earum confusio cum eis, quae antecedunt, vel eis, quae sequuntur, jam e nonnullis exemplorum, quae hucusque allata sunt, cognovimus. Quae quidem res praecipue fit in littera I, cui quae ratio cum litteris Γ, Τ, Ε intercedat, modo vidimus. Omnino autem constat, scriptores codicum, etiamsi notissima verba describerent, interdum litteram vel syllabam praetermisisse, praecipue cum similitudo ceterarum eos falleret. Quod etiam saepe et neglegentia et lapsu calami factum est. Hoc eo magis accidisse in vocabulis, quorum neque notio neque scriptura eis cognitae essent, mirari non debemus, quamquam maxime dolendum est, librarios, qui codicem Mediceum describerent, non melius opere functos esse. Accedit enim alia et quidem non parva difficultas, quod supra quartum depravationum genus esse notavimus, scilicet scriptura Latina posita pro Graeca, qua in re duo genera discernenda sunt.

Quorum prius ex eis litteris, quae utrique linguae communia sunt, ortum est, nam cum librarii verba in scribendo continuarent nullo inter ea spatio relicto, per-

saepe evenit, ut is, qui postea codicem describeret, a vera lectione aberraret; quo vitio Graeca vocabula laborare exempla docebunt, quorum nonnulla afferre liceat.

IV, 6, 2.	KCO mis pro κοσμεῖ.
—, 15, 4.	tris αρεοπατιτας pro τρισαρειοπαγίτας.
—, 15, 5.	tem ΠΗ pro Τέμπη.
V, 12, 1.	ΑΚΡΑΤΗΡΕΟΝ jura pro ἀκρωτηρίων οὔρια.
—, 12, 7.	ea nate ΘΡΙΙΙΠΑ pro fana, τέθριππα.
VI, 6, 3.	ΕΠΕΧΕ interscripseras pro ἐπέχειν te scripseras.
IX, 2.	ΔΙΑΛΗΨ inde dedisti pro διαλῆψιν dedisti.
X, 8, 10.	sim ΠΑΕΙΑΝ pro συμπάθειαν.
XV, 17, 1.	tamen διδόμενα pro τὰ μὲν διδόμενα.

et vice versa:

XVI, 6, 1.	ibi ICΔΟΛΙΧΟΝ pro illic δόλιχον.

Alterum genus multo quoque difficilius est emendatu. Dijudicandum enim est, quam codex Mediceus exhibet scripturam Latinam in Graecis vocabulis, ea utrum profecta sit a codice archetypo vel adeo a Cicerone ipso necne. Quae quidem quaestio omissis ceteris codicibus, jam ex ipsius codicis Medicei examine absolvi posse mihi videtur. Est enim, ubi lectio ipsa Medicei suspicionem moveat, Graeca sub Latinis latere, unde multis aliis locis idem factum esse facile suspiceris. Primum offendunt terminationes Graecae usurpatae in vocabulo Graeco sed Latine scripto; ita, ut exemplo utar, legimus in Mediceo: „persice porticus" (ad Att. XV, 9, 1.), quod si Latine scripsisset Cicero, profecto forma Latina „persica" usus esset; sequitur, ut „Περσική" scripserit. Alias librarii evidens aberratio probat, eum Graecam scripturam ante oculos habuisse, ut hoc „hyparaticus" quod

ortum videtur ex „ὑπεραττικός“ (ad Att. XV, 1b, 2.). Alias denique verba Latina, quae a ceteris dissonant, si paucis tantum mutatis Graece scribuntur, bene in contextum quadrant. Ceterum hac in re aliorum codicum vel editionum testimonia respicienda sunt, quae permultis locis in codice Mediceo corruptis medelam afferunt.

Longe difficillima quaestio de nominibus propriis est, in quibus Ciceronem ipsum summa licentia versatum esse jam supra notavi. Saepe enim miramur, cur hic atque illic Graecum nomen posuerit, ubi potius Latinum exspectemus. Personarum tamen nomina frequentius quam gentium vel terrarum urbiumque Graece scripta sunt, quamquam in hac re analogia quaedam observari potest, quam Cicero in nominibus propriis secutus sit; itaque cum inveniamus in epistula quadam Τεῦκρις nomen Graece scriptum non dubitandum est, quin in ea quae sequitur epistula idem nomen Latine scriptum non sit ab ipso Cicerone sed a falso correctore.

Sed recenseamus epistularum ordinem secuti quosdam locos, quibus facillume Graeca lectio restitui possit e Latina.

I, 6, 2.	chesiomathe positum pro χρηστομαθῆ.
—, 6, 2.	gymnasiode pro γυμνασιώδη.
—, 6, 2.	gymnasio dereperire pro γυμνασιώδη reperire.
—, 12. 1.	prudromi pro πρόδρομοι.
II, 3, 3.	socraticos pro Σωκρατικῶς.
—, 18, 2.	catalepton pro κατὰ λεπτόν.
IV, 16, 2.	extericos pro ἐξωτερικούς.
V, 11, 4.	acta et dicrota pro ἄφρακτα et δίκροτα.
—, 16, 2.	onas pro ὠνάς.
VII, 11, 5.	hora me (corr. hora viae) pro ὁρμή.
IX, 4, 1.	politice pro πολιτικαί.
—, 9, 1.	festivo pro σοφιστεύω.

X, 8a, 1. zelotipea pro ζηλοτυπία.
—, 17, 3. cras pro ἀκραές.
XII, 3, 2. clypo pro κτύπῳ.
XIII, 16, 1. academicen pro ἀκαδημικήν.
—, 21, 3. epoche pro ἐποχή.
XIV, 15, 2. heroicasustolissepro ἡρωϊκά; sustulisse
XV, 13, 6. philosophimena pro φιλοσοφοῦμεν.
vice versa XVI, 10, 2. INΠANC pro in hanc.

His verbis allatis quaestio, quam de codicis Medicei vitiis vel corruptelis instituimus, absoluta videtur. Nunc vero paucis verbis ceteros codices editionesque tangamus.

Summa laude homines docti adnotationes illas adscriptas Cratandrinae editioni dignas habent, cui laudi examinatis verbis Graecis, paucis solum exceptis, obtrectare nequimus. Quo usus sit scriptor illarum adnotationem fonte, demonstrare liceat perpendendis examinandisque Graecis vocabulis. Inter magnum numerum verborum, quae corrigendi causa ex alio codice deprompta in margine editionis Basileensis Cratandri posita sunt, octoginta quatuor notavimus, quae ad vocabula Graeca spectant. Editioni autem ipsi sat parva auctoritas attribuenda esse videtur, id quod non modo Graecis e verbis sed toto e textu planc perspicuum est, quippe qui corruptelis atque interpolationibus, sive e deterioribus codicibus repetitis, sive ab editore factis, scateat. Multo aliter res se habet in adnotationibus, quarum dignitas fere Mediceo codici par habenda est. Itaque, cum in codice Mediceo vetustissimum testimonium archetypi illius a Petrarca, ut dicitur, detecti habeamus, lectiones, quae in margine editionis Cratandri scriptae sunt, cum illo comparandae sunt, ut statuatur, utrum adnotationes ex eodem fonte quo Mediceus defluxerint an non. Neque dubium est, ut hoc addatur, quin adnotationes e codice

aliquo, non conjectura editoris in textum venerint, cum ille, si quid corrigendi causa de suo additurus fuerit, potius textui inseruisset neque, ut fecit, in margine adnotasset, quamquam etiam hoc factum esse uno loco constat. Scripsit enim in epistula 1. libri I:

„Forte legendum ‚ἡλίου ἀνάθημα‘, ut ex veteris codicis vestigiis propemodum colligi potest, in quo Latinis characteribus scriptum erat eliu onaohma.“ Sed hic solus locus id genus est. Ex ceteris hos praestantissimos eligam:

	Cratandri annotationes.	Mediceus codex.
II, 3, 2.	ὄψις μὲν ἡ α	OΨIMENHA.
—, 7, 4.	ψάκαλος	ψάκαδος.
—, 12, 3.	κατ' ὀπώρην τραχύς	KATΩΠCOPHTPAXYC.
	(recte: κατ' ὀπώρην τρύξ).	
IV, 13, 1.	σκύαμον	σκυλμόν.
V, 11, 5.	οἵατ' ἂν δέσποινα	OIATΛHAECΠOINA.
	(recte: οἵαπερ ἡ δέσποινα).	
—, 14, 3.	ἐνόμιλον	ENOMYΛON.
	(recte: ἐνδόμυχον).	
—, 21, 9.	Κέρας aonium	KEPACA omnium.
VI, 9, 3.	τοῦτο μόνον ἐρόν	TOYMONONEPON.
	(recte: τοὐμὸν ὄνειρον).	
VII, 8, 4.	ξυνὸς ἐνυάλιος	? ENYΔNOC.
IX, 7, 3.	εἰδώς σοι λέγω	EIΔΩCCOIΛEΠΩ.
—, 10, 8.	ὑπογραφήν	YΠOTNAΠΨIN.
—, 13, 4.	σάλπισμα	ΛAΠICMA.
XII, 2, 2.	αὐτῷ μέλει	AYTΩNME ΛEI.
—, 9.	ὁ ἀπεραντολογίαν δούς	ΩAΠEPANTOΛOTIAH-ΔOYC.
	(recte: ὦ ἀπεραντολογίας ἀηδοῦς).	
—, 12, 1.	ἐκγόνιμος (corrupt.)	EKTONIMOC.

XV, 5, 1. ὅτε ναῦς ἄνθρακες ΟΤΕ ΝΑΥΣ ΑΝΘΡΑΚΕΣ
XIV, 16, 3. κατὰ μίτων ΚΑΤΑΜΙΤΩΝ.
(recte: κατὰ μίτον).

Plurimis locis adnotationes editionis Cratandri cum lectionibus Medicei codicis consentiunt.

His inter se comparatis consentaneum est, cognationem quandam inter Cratandri adnotationes et codicem Mediceum statuendam esse, cum et errores haud pauci et integrarum lectionum vestigia eis communia sint. Jam illud „eliu onaohma" epistulae 1. idem esse ac Medicei „eiut anaΘma" verisimile est. Ita etiam lectio „κατ' ὀπώρην τραχύς" nusquam exhibetur nisi in his duobus codicibus, quod idem cadit in haec: οἵατ' ἂν δέσποινα, ἐνόμιλον, εὔθειαν, τοῦτο μόνον ἐρόν, ἀπεραντολογίαν δούς, κατὰ μίτων, ὅτε ναῦς ἄνθρακες, alia. Cognationem igitur Mediceum inter et codicem illum ignotum, ex quo Cratander hauserit, interesse plane perspicuum est, quamquam contenderim, in Cratandri codice textum multo integriorem fuisse quam in Mediceo. Accedit alia res. Videmus nonnullis locis Cratandrum lectiones plane corruptas in textum recepisse, cum in codicibus emendationes ei non succurrerent. Ita scripsit:

ΠΟΡΠΑΠΥΜΝΑ,
ΟΥCΟΙΜΡΙCΑΜΑΨΙΗ,
ΜΙΑCΚΟΡΔΟΥ, alia.

Quod autem quadratis litteris scripta sunt, signum est, Cratandrum his locis corruptelas statuisse, quas ipse sanare nequivisset. Codex igitur, quo usus est ad emendationes faciendas, his locis corruptus fuisse videtur, quod emendationes in margine non apposuit; itemque Mediceus. Cum igitur iisdem locis et codex Mediceus et codex emendationum depravatus videatur, ita ut neuter textui medelam afferat, haud difficile cognoscas, quomodo alter alteri

cognatus sit. Quid igitur? Exstitisse videtur codex quidam, ex quo adnotationes defluxerint, cui haec cum codice Mediceo ratio intercedit, ut et iisdem vitiis laboret et iisdem fere locis medelas adhibeat et iisdem locis plane nos destituat, omnino autem majorem fidem mereatur. Itaque ex comparatione verborum Graecorum concludendum est, et Mediceum et Cratandri adnotationes ex eodem archetypo ortas esse, qui quidem archetypus codex ille fuisse videtur, quem Petrarcam detexisse tradunt; an vero hoc ipso Cratander usus sit, haud constat, sed cum Mediceo praestet, ne apographum quidem ejus esse potest. Itaque statuendum est, Cratandrum usum esse codice, qui ita cum Mediceo cohaereat, ut ex eodem archetypo descriptus sed majore cum diligentia tamquam frater Medicei vel filius fratris, quamquam praestantior patruo Mediceo, habendus sit.

Tertius, qui comparatione dignus habetur codex Turnesianus est, e quo Lambinus hausit, ut ipse dicit. Qua re autem is codex ceteris praestiterit, e verbis Graecis intellegi vix potest. Quibus in locis Turnesianus inter ceteros excelluerit, Hofmannus exemplis allatis exposuit[1]), sed verba Graeca non attulit, quia maximam in partem conjecturae ab ipso Lambino factae videantur. Ita in epistula 14. libri I. § 4. „si“ inter singula verba Graeca positum in „ἢ“ mutavit, quod ipsi ita libitum est.

Bosii codices commemorasse satis sit, cum de eis sat pauca testimonia in promptu habeamus. Ceterum Hauptius[2]), Hofmannus, Mommsenus, Baiterus consentiunt, Simonis Bosii codices, Decurtatum sive scidas et Crusellinum, numquam exstitisse sed fraudulenter a Bosio fictos esse. Eas autem, quas Bosius emendationes

[1]) Der krit. Apparat etc. pag. 27 sqq.

[2]) *Hauptius* in Indice lectionum per semestre aestivum anni 1855 in universitate litteraria Berolinensi habendarum.

Graecis verbis praebuit, secundum editionem Orellianam, quam comparavimus, potius conjecturae, etsi haud ineptae, quam codicum lectiones esse videntur.

Epistularum ad Quintum fratrem optimus auctor est idem codex Mediceus. Accedunt quatuor ad locos Cratandri emendationes. In his epistulis ejusdem generis corruptelae inveniuntur ac in epistulis ad Atticum, quare de iis plura dicere opus non est.

Quod denique ad epistulas ad familiares attinet, unum atque praestantissimum codicem jam diximus esse Mediceum Plut. XLIX. num. IX., saeculo undecimo scriptum, quippe qui ceterorum codicum vel editionum unicus fons sit. Hic usque ad nostram aetatem servatus est, cum, ut jam vidimus, epistularum ad Atticum ejusdem dignitatis archetypus jamdudum deperditus sit. Exempla autem nos docebunt, hunc codicem plane ejusdem generis vitiis laborare ac Mediceum num. XVIII., unde patet, etiam in archetypo epistularum ad Atticum permultis locis verba Graeca plane corrupta fuisse, ita ut non omnes depravationes eis, qui apographum scripserint, probro habendae sint. Ita etiam in epistularum ad familiares textu confusionem vel permutationem vel praetermissionem litterarum invenimus, exempli gratia:

VII, 20, 3. NEIKΩNOC pro Νίκωνος.
IX, 7, 1. ΔΥΕΡΧΟΛΑΝΩ pro δύ ἐρχομένω.
—, 21, 1. potin ναποτευγμα pro potius ἀπότευγμα.
XV, 16, 1. κατειδων pro κατ᾽ εἰδώλων.
—, 17, 2. ΠΟΛΕΟΣ pro πόλεως.
XVI, 21, 6. animi ασπουδη pro nimia σπουδή.

Praecipue autem scriptura Latina pro Graeca posita est, ut his locis:

VII, 16, 1. philoteorum pro φιλοϑέωρον.
IX, 24, 3. symposia aut syndipna pro συμπόσια aut σύνδειπνα.
XI, 14, 1. scia machalae pro σκιαμαχίαι.
XIII, 77, 3. bibliothecen pro βιβλιοϑήκην.
XV, 16, 3. hereri pro αἱρέσει.

Accedit etiam Cratandrina editio cum his adnotationibus:

I, 6, 2. adjecit translationem Graecam proverbii a Cicerone allati: „qui mihi a teneris, ut Graeci dicunt, unguiculis es cognitus“: „δι᾽ ἁπαλῶν ὀνύχων.
IX, 4. lectio Medicei „ἀδύνατον est“ comprobatur.
X, 13, 2. πτολίπορϑον — Med. ptoliportion.
XII, 13, 4. πάλτῳ — Mediceus idem.
—, 16, 3. εὐϑυῤῥημονέστερος — Med. idem.
XV, 17, 4. ἀκενόσπουδος — Med. ακενοσποιδος.
—, 18, 1. φλυαρόν — Med. idem.
—, 19, 2. ἀταραξίαν — Med. αιαξιαν.

Sed haec sufficiant. Examinatis singulorum codicum lectionibus paucis verbis adumbravimus, quomodo verba Graeca a librariis codicum Latinorum tractata sint quibusque vitiis praecipue laborent. Pariter etiam codicum auctoritatem dignitatemque ex his ipsis vocabulis rationeque, qua tradita sint, aestimare conati sumus.

Liceat, ut finem faciamus paullum subsistere in hac tractatione verborum Graecorum in codicibus Latinis et nonnulla dicere de ceteris scriptoribus, quorum in scriptis verba Graeca exstant, ut statuamus, quomodo omnino librarii hac in re se gesserint. Quem ad finem animum intendimus in Lucilium, Varronem, Senecam rhe-

torem, Gellium, apud quos praecipue sermonem Graecis vocabulis mixtum invenimus. Difficillima quaestio et apud hos et apud Ciceronem ea est, quibusnam finibus usus scripturae Graecae contineatur, ubinam Graeca verba litteris Latinis, ubi Graecis scripta sint? Quod attinet ad Ciceronem, vidimus, nonnullos librarios ei rei maxime studuisse, ut scripturam Latinam ponerent pro Graeca, sed eos hac in re saepissime errasse, ita ut permultis locis suspicaremur, Ciceronem ipsum Graeca verba usurpasse, Latina autem errore quodam in textum venisse.

Graecam scripturam omnibus temporibus non plane ignotam fuisse, hoc testimonio confirmatur, quod cum nonnullis in codicibus, tabulis publicis vel bullis tum etiam aliis in libris a scriptoribus medii aevi Graeca scriptura pro Latina usurpata sit, quin etiam in Latinis vocabulis. Quod primum factum est in subscriptionibus, exempli gratia in tabula quadam anni 1120 p. Chr. n., ubi librarius verbo ΓΩΔΕΦΡΗΔΟΥC usus, nomen Godefredus apposuit[1]). Ita in tabulis Francogallorum talia occurrunt, qualia sunt: ΔΑΝΥΛ ΛΗΥΘΑ CΚΡΥΠΛΥΘ — Daniel levytha scrypsyth, vel ΘΗΩΘΩΛΩ et ΩΘΒΗΡΘΟΥC vel ΓΩCΒΗΡΘΟΥC. ΜΥCΡΩΜΩΝΑΚΟΥC ΚΑΥ ΘΑΠΥΝΩC ΛΗΥΥΘΗC CΚΡΥΠCΥΘ, quod est: Gosbertus parvus monachus et humilis levita scripsit.

Causa fortasse ea est, quod scriptor id, quod dicturus esset, sive nomen, sive aliam rem, Graecis litteris occultare vellet neque alii ac cui scriptum destinatum esset patefaceret. Huc etiam pertinet subscriptio codicis cujusdam: „φυηρυ ωρδυνλουδ“, quod significat: fieri ordinavit[2]).

---

[1]) *J. Grimm:* kleine Schriften p. 337/8.

[2]) *Gardthausen:* Griech. Palaeographie p. 422 sqq.

Sed quod attinet ad codices, quibus continentur antiquitatis scriptores, apud hos non de verbis Latinis sed de Graecis agitur, in quibus Graeca scriptura jam usu praescripta est. Quo ab usu scriptores persaepe aberrasse, perspicuum est, nam etiam nonnulla Graeca verba, quamquam Romanis ignota, Latine scripta invenimus. Ita H. Jordanus[1]) dicit, plerumque singula verba, quae textui inserta essent, initio Latine scripta fuisse, Graecam scripturam autem non auctori sed librario vindicandam esse. Sed hoc factum non esse valde suspicor. Potius scriptura Graeca plerisque locis auctori, Latina autem librario attribuenda est. Jam in epistulis Ciceronis vidimus, corruptelas illas, quae in Graecis essent, e Graeca et plane non e Latina scriptura ortas esse; et cum praecipue ea Graeca, quae in codicibus Latinis litteris tradita sint, vitiis scateant, non dubitamus, quin haec ipsa falsis emendationibus laborent. Hoc etiam aliis scriptoribus demonstrare libet.

Ut primum Lucilium spectemus, eum Graeca vocabula usurpasse haud dubium est, eumque etiam Graeca scriptura usum esse, nonnulla fragmenta demonstrant, quae in aliis scriptoribus servata sunt: ita „αἰγίλιποι" (libro III, v. 75 ed. Lachmanni) vel „ληρῶδες", „συμμειρακιῶδες" (l. V, v. 158), quae apud Gellium exstant. Sed Lucilium Latine, Gelliani autem codicis librarium Graece scripsisse concederem, nisi alia res contra pugnaret. Nimirum pleraque fragmenta, quae ex saturis Lucilii supersunt, apud Nonium grammaticum invenimus, et, si apud illum ea perscrutemur, quae Graeca vocabula sunt, videmus, scripturam Latinam semper usurpatam, sed fere omnia haec verba plane corrupta esse,

[1]) *H. Jordan:* krit. Beiträge z. Geschichte d. lat. Sprache p. 243/4.

et ita quidem, ut corruptelae e Graeca scriptura fluxisse videantur, Exempli gratia habemus in versu 28: IXIONES ALCHOLOCHEO, quod ex Ixionies alochoeo, vel potius ex Ἰξιονίης ἀλόχοιο fluxit; ita versu 303: STOC pro ἔπος, vel versu 872: ixiodontes, ubi ὀξυοδόντης exspectamus, vel versu 949. endo mucô, ubi potius ἐνδομύχῳ suspicamur. Contra apud alios scriptores, qui Lucilii verba citant, Graecam scripturam habemus, ita apud Macrobium versum 35a. vel apud Porphyrionem versus 308. et 309. vel versum 855. apud Priscianum. His rebus concludimus, Lucilium Graeca verba usurpasse.

Item in Varronis operum codicibus videmus Graeca verba ita Latine scripta esse, ut ab omni dubio absit, ea prius Graece scripta fuisse. Ita in libro I. de re rustica cap. 5. exstant haec: physicon aetion pro φυτικῶν αἰτίων vel:

I, 31. occos et ochis pro ὠκύς.
II, 1. inter alia: perystilon vel pristylon pro περίστυλον.
II, 4. συνηπειρῶται in Sin epirotae mutatum est.
II, 11. draconon pro δάκρυον positum est.

Has et multas alias corruptelas Graecae scripturae causa in textum venisse verisimile est, praecipue cum hoc accedat, ut nonnullis locis verba Graeca plane omissa sint.

Denique Senecam rhetorem inspiciamus; in suasoriarum libris aliquoties Graeca verba leguntur, quae librarius in textum inseruit, ubi ea intellexit, omisit, ubi ea non intellexit, saepe etiam videmus, eum id studuisse, ut Graeca verba Latinis litteris exararet, cum contra, quae difficiliora ei visa sint, plane negligeret.

Sed finem faciamus. Alios quoque scriptores Romanorum circumspicientibus patet, in omnia illa verba

Graeca, quae Latinis scriptis inserta sint, id quadrare, quod supra de Cicerone dictum sit, scilicet, permultos locos, ubi verba Graeca praeberentur, ab insciis librariis depravatos atque corruptos esse. Hoc tamen Ciceronis exemplo demonstrasse mihi videor, cum corruptelae vel depravationes praecipue e Graeca scriptura fluxerint, haud parvo numero locorum ipsa hac scriptura Graeca restituta medelam afferri posse.

INDEX.